Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Dissertationem Theologicam, Exegetico-Dogmatico-Polemicam, Ad Matth. III.13-17. Qua Iesus Nazarenus Verus Messias In Baptismo Suo Demonstratus Sistitur, Simulque Calumniis Quorundam Deistarum Irreligionariorum Occurritur

Rostochii: Adler, 1757

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn840951965

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn840951965/phys_0001
DFG

a. B.
48. b. 31.
55
426
Fa 1092 (55.)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn840951965/phys_0002
DFG

1. Nahnmacher, de discrimine inter praeparationem evangelicam et evangelii demonstrationem
2. Braunn, Ob der Mangel eines richtigen Erkenntnißes eine Sünde sey, Sign. Dahn diss.
3. Jacobi, Antropomorphismus a vera notione immensitatis, sapientiae, libertatis, atque aeternitatis divinae remotus.
4. Lange, religiosam natalis Domini celebrationem.
5. Triller, de vino modico hypochondriacis salutari ad sacram locum 1 Timoth. 5. 23.
6. Quistorp, de adoptione ecclesiastica veteris Testamenti.
7. Carpow, de regiis Jesaiae Prophetae natalibus.
8. Hartmann, argumenta, de satisfactione Christi, pro impoenitentia finali praestita, negantia.
9. Hartmann, ideam generalem unicae verae religionis ex scriptura sacra, et specialiter ex Rom. 12., 1. 2. enoluentis etc.
10. Hartmann, ideam generalem unicae verae religionis ex scriptura sacra, et specialiter ex Rom. 12., 1. 2. enoluentis sectionem exegeticam posteriorem etc.
11. Hartmann, argumenta, de satisfactione Christi, pro impoenitentia finali praestita, negantia.
12. Hartmann, de satisfactione Christi, pro impoenitentia finali praestita.
13. Pries, de officiis Christi nonnulla momenta generalia sistens.
14. Heppinus, de directorio corporis evangelicorum.
15. Pries, de Prophetis et Apostolis falsa inspiratione divina.
16. Stepius, demonstratio existentia Divina ex scriptura sacra.
17. Carpow, de verbis Davidis, maledicentiam simeiticam concernentibus: כֹּה יְהוָה אָמַר לוֹ קַלֵּל דָּוִד 2 Sam. 16. 10.
18. Halmann, de στεφανῳ ἐξ ἀκανθων. corona de spinis. Matth. 27. 29.
19. Halmann, de στεφανῳ ἐξ ἀκανθων. corona de spinis. Matth. 27. 29.
20. Quistorp, de peccato originis.

2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14.

21., Quistorp, de fide Dei opere, Joan. 6. 29.
22., de Marne, de explicatione Joan. 14. 23.
23., Hartmann, de Jesu Nazareno vero Messia.
24., Manzel, de significatione vocis δυσιδαιμονία in Novo Testamento ad illustranda loca Act. 17. 22. c. 25. 19.
25., Pries, de non consumatis partibus Veteris Testamenti ex Epist. ad Hebr. 11. 39. 40.
26., Sasse, de Christo, et sacerdote et victima in omnium salutem.
27., Kaempfer, de modo praedicationis paulinae. 1 Cor. 2. 4. 5.
28., Quistorp., de Judaeis corde compunctis. Act. 2. 37.
29., Carpow, de Jonae versionibus etc.
30., Hartmann de vaticinio Simeonis. Luc. 2. 34. 35.
31., Riederer, Eine Überwindung der Reformation zu überwinden.
32., Riederer, Anhang zu der Reformation zu überwinden.
33., Engel, de ratiocinii consequentiae immediatae.
34., Mayohl, de angelorum corpore proprio.
35., de dono Spiritus Sancti. etc.
36., Nitzschwey, anti-blanchiana.
37., Heinius, de auctore et causa stragis Assyriorum tempore Ezechiae Judaeorum regis ad illustrationem Jesaiae c. 37. 36.
38., Leuf, de gratia Spiritus Sancti applicatrice in genere.
39., Rahnmacher, de introductione in septem epistolas catholicas sectio tertia.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn840951965/phys_0004
DFG

DISSERTATIONEM THEOLOGICAM,
EXEGETICO-DOGMATICO-POLEMICAM,
AD MATTH. III. 13-17.
QVA

IESVS NAZARENVS VERVS MESSIAS

IN BAPTISMO SVO DEMONSTRATVS
SISTITVR,
SIMVLQVE CALVMNIIS QVORVNDAM
DEISTARVM
IRRELIGIONARIORVM OCCVRRITVR.

DEO CLEMENTISSIME PROSPERANTE,
CONSENTIENTE S. R. THEOLOGORVM
ORDINE,
IN ACADEMIA PATRIA,
DIE 26 SEPTEMBRIS CIↃIↃCCLVII.
H. L. Q. C.
PRAESIDE,

IOACHIMO HARTMANNO,

PHIL. ET S. S. THEOL. DOCT. CONSIST. DVC. CONS. ET DIOEC.
MECLENB. SVPERINT.
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTIT,
AVCTOR RESPONDENS,

IOANN. WILHELM. BRVNOW,

ROSTOCHIENSIS, S. S. THEOL. CVLTOR,
STIPEND. COTHMANN. ALVMNVS.

ROSTOCHII,
TYPIS IOANNIS IACOBI ADLERI, SEREN. DVC. REGN. ET
ACAD. TYPOGRAPHI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn840951965/phys_0005
DFG

VIRO

PERILLVSTRI, ATQVE GENEROSISSIMO

DOMINO,

DOMINO IOACHIMO LVDOLPHO A BASSEVITZ,

HAEREDITARIO IN LVTKEBVRG, BASSE,

ET REL.

SACRAE CAESAREAE MAIESTATIS

CONSILIARIO IMPERIALI

AVLICO,

POTENTISSIMI POLONIARVM REGIS

ET

ELECTORIS SAXONIAE

CVBICVLARIO,

DVCATVS MEGAPOLITANI

CONSILIARIO PROVINCIALI,

ATQVE

IVDICII PROVINCIALIS ET AVLICI

ASSESSORI:

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn840951965/phys_0007
DFG

NEC NON

VIRO

PERILLVSTRI, ATQVE GENEROSISSIMO

DOMINO,

DOMINO CAROLO LEOPOLDO DE HALBERSTADT,

HAEREDITARIO IN GOTTESGABE, BRVEZ,

ET REL,

DVCATVS MEGAPOLITANI

CONSILIARIO PROVINCIALI,

ATQVE

IVDICII PROVINCIALIS ET AVLICI

ASSESSORI:

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn840951965/phys_0008
DFG

MAECENATIBVS

ATQVE PATRONIS SVIS

DEMISSE COLENDIS,

DISSERTATIONEM HANC,

STVDIORVM SVORVM ACADEMICORVM

PRIMITIAS,

IN ANIMI,

BENEFICIORVM GRATIOSISSIME COLLATORVM,

VARIORVMQVE

PATROCINII DOCVMENTORVM,

MAXIME MEMORIS

PVBLICVM DEBITVMQVE

MONVMENTVM

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn840951965/phys_0009
DFG

EA, QVA PAR EST, PIETATE,

CVM INTEGERRIMO

PERENNIS FELICITATIS

VOTO,

OFFERT, DICAT ET CONSECRAT,

TANTORVM NOMINVM

CVLTOR OBSEQVIOSISSIMVS

IOANN. WILHELM. BRVNOW.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn840951965/phys_0010
DFG

FORTVNANTE IEHOVA!

DISSERTATIONIS THEOLOGICAE,

AD MATTH. III. 13-17.

QVA

IESVS NAZARENVS VERVS MESSIAS IN BAPTISMO SVO DEMONSTRATVS SISTITVR,

SECTIO PRIMA.

Exstantiora Textus momenta evolvens.

§. 1.

Jesum Nazarenum esse verum Messiam, humanoque generi divinitus promissum datumque Redemtorem: Principem hanc, cuique omnis nostra salus innititur, Jo. XX. 31, adeoque maxime fundamentalem fidei nostrae veritatem, quam characteribus adeo illustribus pingunt, et tot exquisitissimis atque efficacissimis argumentis inculcant Sacrae Literae, ex iisdem haustam proposuerunt, studiosissimeque persecuti sunt, tot viri eruditione atque industria conspicui, vt, quicunque horum laboribus vel quidquam addere, veritatemque adeo perspicuam magis adhuc illustratam reddere sibi sumant, acta forte agere velle videantur. At vero cum, ex admiranda Dei sapientia, argumentis pro evincenda hac tanti momenti veritate S. sacra abundet, facile fieri potuit, immo actu factum esse deprehendimus, vt eorum vnum alterumve vel prorsus neglexerint, vel breviter tantum tetigerint, qui eidem evolvendae operam dederunt viri laudatissimi. In demonstrationibus enim, quae, Christum verum esse Messiam, docent, dilucidum illud, vt de reliquis taceamus, *argumentum*, quod *Baptismus, quo ipse vsus est, praebet*, ab aliis e. g. *Iacobo* ABBADIO, 1) *R. Lamperto* GEDICKEN, 2) plane

1) Hic, licet in Libro Gründlicher Tractat von der Warheit und Gewisheit der Christlichen Religion argumenta pro evincenda propositione nostra largo numero afferat, nostri tamen argumenti non meminit, nec, quae *Tomi* II. *P.* III. ad calcem *Cap.* VI. in *not. sup. Matth.* ad baptismum Christi spectantia adduçit, specialiter applicat.

plane praetermissum, ab aliis, vt *Pet. Dan.* HVETIO, 3) *Rich.* KIDDERO 4) et S. R. *Frid.* WAGNERO, 5) allatum, non plene pertractatum, est. Quod quidem quamvis pro fine nihilo minus complete obtinendo fieri potuerit, nobis tamen facile potuit motiva suppeditare, vt operae pretium futurum esse existimaremus, si argumentum illud peculiari nostrae disquisitioni subjiceremus, ita, vt, quod in reliquis plurimi, magno eruditionis apparatu, praestiterunt, nos, minori licet doctrina, inremerata tamen integritate, et pro virium nostrarum imbecillitate, quoad memoratum argumentum tentemus, et, quem Christum cum gestis suis in S. sacra relatum legimus, eundem esse verum Messiam, ex baptismo ejus in Jordane, secundum *Matth. III.* 13. *seqq.* 6), convincente, vt nobis quidem videtur, ratione, evincendum sumamus. §. 2.

2) Hic in Libro Grundsätze Christlicher Religion, Caput XXV. probandae veritati: quod Christus sit verus Messias, ex instituto destinavit, nostrum autem argumentum plane praetermisit, quamvis *pag.* 797 Baptistae mentionem fecerit.

3) Is in *Demonstratione Euangelica* Jesum Nazarenum esse Messiam probans *Propos.* IX. *Cap.* XVII. *Tom.* II. *p. m.* 713. de Baptista loquitur Cap. XVIII. p. m. 714. Descensum Spiritus Sancti in Christum, et testimonium Patris e coelo affert, vlterius autem non progreditur.

4) Vid. Ejusdem Ueberzeugender Beweis, daß Jesus der Messias sey, ex versione P. R. *Frid. Eberh.* RAMBACHII *Sect.* I. *Cap.* I. §. 21. ubi de vnctione Christi loquitur, et, postquam, Christum, immisso post baptismum Spiritu Sancto, vnctum esse, docuit, Patrisque vocem adduxit, addit: auf diese Weise wurde Jesus durch die Herabkunft des heil. Geistes, als der von Gott erkohrne Heiland bekannt gemacht. Eadem fere sola §. 22. repetit, nec pluribus argumento huic immoratur.

5) Cfr. *Ejusdem* Wahrheit und Göttlichkeit der heil. Schrift und Christlichen Relig. P. II. p. 363. Vbi quidem contra *Edelmannum* Joannis Baptistae mentionem facit, Patrisque testimonium Christo coelitus datum affert: argumentum autem nostrum paucis tantum verbis indigitasse Viro S. R. pro fine suo sufficisse invenies.

6) Joannis Baptistae tam praeclara et publica de Christo exstant testimonia, vt, qui in iis evolvendis versati sunt, eorum numerum determinare gestiverint, atque sex eorundem invenerint. *Primum* Matth. III. 1. seqq.: *Secundum*, Jo. I. 15. 16. 17. 18. *Tertium* Jo. I. 19.-29. *Quartum*, Jo. I. 29-35. *Quintum*, Jo. I. 35. 36.

§. 2.

Prius autem quam ad hunc qualemcunque noſtrum laborem nos accingamus, praemonendum eſt, Lectiones variantes, teſte *Io.* MILLIO, nec non *Io. Alb.* BENGELIO, aliis, circa textum noſtrum vel prorſus non haberi, vel legentis non mereri attentionem. Vnicam autem illam aliquorum lectionem, quae poſt verſum 16. voci: ἐπ' αὐτὸν addit verba: καὶ εὐθὺς περιέλαμψε τὸν τόπον φῶς μέγα, breviter annotaſſe juvabit, non quod eandem exhibeant exemplaria cujusdam auctoritatis, ſed, quod, IVSTINVM *Martyrem* lumen in Jordane viſum ab ipſis Apoſtolis traditum docuiſſe, Millius 7) contendat. *Iuſtinum* quidem ideo lumen ſive flammam illam ab Apoſtolis derivaſſe, indeque explicari poſſe, putat *Millius*, quoniam *Euangelium ſecundum Hebraeos ſive Nazaraeorum ſive Ebionitarum*, 8) in

35. 36. et *Sextum* Jo. III. 23. deſcriptum. Cum his omnibus, quantum ad rem ipſam pertinet, facile conſentire poſſumus: hoc autem non poſſumus non fateri, quod iſte numerus non videatur nobis ſingula complete exhibere, quin potius ea, quae ad actum baptismi Chriſti prolocutus eſt Baptiſta, ſingulariſſimum quoddam inuoluant de Chriſto teſtimonium, quod ex ſequentibus deductionibus, cum textus noſtri exſtantiora quaedam momenta a nobis fuerint exhibita, apparebit.

7) Cfr. *Ejusdem* Proleg. *ad N. Ttum Edit. Küſter. Lipſ.* 1723. vbi pag. 73. n. 767., poſtquam ex *Iuvenci Carmine* et ſ. *Germani* pervetuſto *Codice* luminis illius mentionem injecerat, addit: Exſtabat autem - - - haec de flamma in Jordane viſa hiſtoria *in Euangelio ſecundum Hebraeos.* Citauit eam jam olim *Iuſtinus Martyr* in Dialogo cum Tryphone, *tamquam ab Apoſtolis profectam.* Euangelium ſcilicet illud apud Veteres inter alia etiam *Euangelii ſecundum Apoſtolos* nomine veniebat. *Ad ipſum noſtrum locum* Matth. III. 16. *Ebionitarum* Euangelium MILLIVS memorat, ceu vnum idemque cum *Euangelio ſecundum Hebraeos et Nazaraeorum*, ex quo illam particulam *Iuſtinum* deſumſiſſe arbitratur.

8) *Ebionitarum* Euangelium, quatenus illam partem continet, *Codice Apocr. N. Tti* pag. 346. ſeqq. exhibet *Io. Albert.* FABRICIVS ex *Epiphanio* in *haereſi Ebionitarum* XXX. 13. vbi ſimul p. 360. 367. contra *Millium*, Ebionitarum et Nazaraeorum Euangelium diuerſa fuiſſe, aſſerere videtur. Interim, dum ſine dubio ad interpolationes ab Ebione admixtas reſpicit, nec *Millius* nec *Grotius* nec alii contradicunt.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn840951965/phys_0013
DFG

in quo illa loci illuminatio allegatur, etiam Euangelii secundum Apostolos nomine 9) *venerit.* Verum, si dicendum quod res est, *Iustinum ipsum non comparasse videtur Vir Cel.*, alias perspexisset, Justinum lumen illud non ab Apostolis traditum docere, sed potius ceu traditionem aliunde obtentam allegare, adeoque ipsam illam confirmare sententiam, quam et ipse *Millius* l. c. pag. 31. n. 269. prodidit, *Hugo* GROTIVS 10) recepit, et *Henr.* DODWELLVS 11) sustinuit. Ita enim Justinus habet: 12) „*Tum vero Iesu profecto ad lordanem fluvium, vbi Ioannes baptizabat, et in aquam degresso ignis e fluvio emicuit: ac mox* in emergentem ex aqua devolasse Spiritum „Sanctum, columbae specie, *scripserunt* ipsius nostri Christi *Apostoli.*“ Haec autem Justini verba, cum, *quod ignis e fluvio emicuerit*, aperte contradistinguant ei, *quod ab Apostolis scriptum esse dicitur*, Justinum nequaquam flammam illam, aut ejus narrationem, ab apostolis derivare, manifesto commonstrant, quare ex Justino non probatur apostolica hujus Commatis auctoritas.

§. 3.

In ponderandis, exstantioribus textus momentis *Primum* est, quod quidem v. 13. per τότε insinuatur, *Tempus* baptismi Christi. In hoc autem assignando inter se dissentiunt Interpretes. Alii ad ipsum muneris Joannei initium idem referunt, vt obseruat *b. Reinh.* RVSSIVS 13); alii post sex menses ab initio illius baptismi collocant cum

9) Ex hoc enim Euangelio Justinus depromsit, quae de lumine illo in baptismo Christi viso attulit, *secundum quidem Millii sententiam*; ea autem sententia, quoniam lubrico nititur fundamento, ac si *Iustinus*, quae de lumine illo in Jordane viso adduxit, ab Apostolis tradita putasset, corruit, juxta atque a DODWELLO profligatur *vid. infra num.* 11.

10) *Qua hunc* cfr. *Critic. Sacr. Tom.* IV. pag. 106. *Frcf. ad Moen.* MDCXCVI.

11) *Dissertatione* 2 ad IRAENEVM §. 9. quam quidem excitat FABRICIVS l. c, qui simul propter narrationis diversitatem, in *Iustino* obuiam, negat, *Iustinum*, quae de flamma illa in Jordane visa adduxit, ex Ebionitarum Euangelio desumsisse; alia quippe excitat *Iustini* verba quam quae in *dicto Euangelio* leguntur.

12) In Dialogo cum Tryphone, prouti legitur *Opp.*, *Interprete Sigismundo* GALENIO, latine redditis. Basileae 1555. p. m. 104.

13) In Harmonia Euangelistarum Tom. I. pag. 340.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn840951965/phys_0014
DFG

eum *Io.* LIGHTFOOTO 14), a quo parum abeſt b. *Mart.* CHEMNITIVS 15), alii denique initiis baptismi Joannei illud aliquot annis poſtponunt, 16). Nobis autem, ſi quid judicare licet, punctum illud temporis, quo baptismus Chriſti contigit, praeciſe et cum certitudine definiri non poſſe, videtur. Maximam tamen illa, quam CHEMNITIVS et LIGHTFOOTVS fovent, ſententia, probabilitatem habet. Verumenimvero circa tempus baptismi Chriſti, omnibus limitibus ſuis, praeterquam quod ipſe Lucas ſubinnuit, deſcribendum, non verſatur ſcopus noſter, hoc tamen hic notabimus: Chriſtum baptizatum eſſe, cum *maxima jam eſſet Ioannis ejusque baptismi celebritas atque exiſtimatio, quae quippe poſt reditum Chriſti ex deſerto per ipſius praedicationem, et, per diſcipulos, baptismum* Matth. IV. 17. Jo. III. 22. IV. 2. *ſenſim imminuebatur* Jo. I. 37. IV. 1. Jo. III. 22. 26. *annoque a reditu Chriſti ex deſerto elapſo, per captivitatem et mox inſecutum martyrium Baptiſtae, finem habebat.* Haec certe temporis circumſtantia *Iuſtino Martyri* anſam dedit aſſerendi, quod, *Ioanne adhuc ſedente apud Iordanem fluvium, Chriſtus ſuperveniens finem prophetiae baptismoque illius impoſuerit, ipſe laetum afferens propinqui regni coelorum nuntium* 17). Quae quidem *Iuſtini* verba, cum teſtimonio Baptiſtae Jo. III. 23. 30. ſeqq. optime reſpondeant, eo diligentius hic annotaſſe juvabit, cum in ſubſeqq. plura ad Juſtini ſententiam ſimus obſervaturi.

§. 4.

Accedimus jam ad *Secundum*, quod nobis penſitandum eſt, *momentum*, nimirum ad verba Baptiſtae, *quibus Chriſtum ad ſe venientem*

14) Cfr. *Ejusdem* Harmonia Chronica et ordo N. Tti pag. 9. quae Opp. OO. Franequerae MDCXCIX. edit. *Vol. II. primum* locum obtinet.

15) In Harmonia IV. Euangeliſtarum Tom. I. pag. 171. ex edit. quae Genevae MDCXLV. prodiit.

16) Adduxit et hanc quorundam ſententiam *Chrph.* STARCKIVS in Synopſi Bibliothecae Exegeticae in N. Ttum ad h. l. eandemque etiam ſuſtinuit *Iacobus* VSSERIVS *in Annalibus* V. et N. T. p. 619. 620.

17) In Dialogo cum Tryphone Opp. cit. pag. 72.

tem, baptismumque petentem, prohibuisse legitur v. 14., ὁ δὲ Ἰωάννης διεκώλυεν αὐτὸν · · πρός με; In hac autem materia controversia, in quam *Io. Frid.* HOMBERGIVS 18) versionem *Theod.* BEZAE 19) ideo vocavit, quoniam verbum, διεκώλυεν, reddit: *obnixe prohibebat*, 20) neutiquam gravis est, quin potius tandem in logomachiam desinat. BEZAE quidem ejusque versionis causam ex argumentis gravioribus a Joanne adhibitis dicere voluit *Theophilus Alethaeus* 21) at vero, cum ex argumenti gravitate repetendum sit, quo Bezae versio vindicetur, argumentum autem ipsum adducatur, hinc per particulam διὰ nihil novi poni concedatur, ex eo sane versio Bezae minus prospere defendi videtur. Cum tamen argumentorum gravitas intensivum significatum hic admittat, qui hunc assumit, quid, quaeso, peccat? Est ergo logomachia. Interim quomodocunque vertas, *serio* Joannem Christum prohibuisse, ex argumentis, quibus vtitur, longe gravissimis, omnino judicare licet. Ad Argumenta quoque sine dubio respexit b. Chemnitius, dum l. c. pag. 173. circa vocem διεκώλυεν annotat, quod idem sit, ac volentem, conantemque aliquid, non admittere, sed vel dictis vel *factis* et *injecta quasi manu*

18) *In Parergis sacris* s. observationibus quibusdam ad N. T. Domini nostri Jesu Christi pag. 11. scribens: Beza vim particulae διὰ exprimendam putavit per OBNIXE. An recte? dubito.

19) Cfr. *Novum Foedus*, cujus graeco contextui respondent interpretationes duae: vna Vetus, altera Theod. Bezae ad h. l.

20) Bezae versionem sequuntur versio *Batava*, item versio *Io. Piscatoris* et *Io. Henr. Reizii*, quas exhibent Biblia Pentapla, vulgo *Wandesbeckiana*. *Henr. Hammondus* simpliciter et sine addito vertit: *prohibebat*, et in paraphrasi adjecta ita explicat: *ipsum, ne hoc fieret, orabat*. Caeterum etiam *M. Io. Frid. Frischius* in der Unpartheyischen und vollständigen Kritik über die Neumannische Uebersetzung des N. T. praefert significatum intensivum, particulae διὰ in compositione tribuendum.

21) Postquam enim im Ausführlichen Bericht von alten und neuen Commentariis und exegetischer Arbeit gelehrter Männer über die Schriften A. und N. Testaments P. II. pag. 366. *Bezae* sententiam adduxerat, ac in subjecta nota *Hombergii* observationem, qua Bezae versionem

manu prohibere. Posterius procul dubio praeter mentem b. Viri hic applicaretur, cum, prohibitionem istam nonnisi humillime deprecando et adductis argumentis gravissimis factam esse, largiendum sit. Argumentis autem omnino longe gravissimis vtitur Baptista.

§. 5.

Primum argumentum, quo baptismum Christi Joannes deprecatur, innuunt verba, quibus profitetur, semetipsum opus habere, vt a Christo baptizetur: ἐγὼ χρείαν ἔχω, ὑπὸ σοῦ βαπτισθῆναι, Particula, Wohl, in versione b. *Lutheri* offendisse videtur S.R. *Chrph. Aug.* HEVMANNVM, qui eandem omisit, at minus feliciter tamen (quod pace Viri Summe Venerabilis dixerimus) verba textus reddidit: Ich hätte nöthig, von dir getauft zu werden. 22) Habetur enim in textu non *dubitativa* aut *optativa*, sed *assertiva* seu *indicativa* enuntiatio, quae cum particula germanica Wohl etiam exprimatur, haec rite intellecta, vt idem significet, quod *omnino, certe, probe, sane*, optime adhiberi potest: Ego *sane* opus habeo, vt abs te baptizer. Quomodo et quare opus fuerit Joanni, vt a Christo baptizetur? non quidem immerito quaeritur. B. RVSSIVS l. c. p. 342. ita sententiam suam expressit: *Probe norat* Baptista, inferiorem *debere baptizari*

nem perstrinxit, allegaverat, hanc epicrisin adversus Hombergium adjicit: Hombergius, an hoc in loco recte Bezam notare potuerit, dubito. Denn so viel ist doch gewis, daß sich Johannes wird haben angelegen seyn lassen, bündige Ursachen anzuzeigen, warum er es nicht vor rathsam hielte, daß sich Christus anjetzo tauffen lies. Ipsa praeterea haec *Alethaei* epicrisis habet, quae praeter Scripturam dicuntur: Joannem scilicet prohibitione indicare voluisse, quod *e consiliis non sit*, ut Christus *nunc* baptizetur, de quo ne vocem quidem textus habet.

22) Vid. das Neue Testament nach der Uebersetzung D. Chrph. Aug. HEUMANNS versione dicti nostri pag. 7. In explicatione autem hujus dicti, nimirum in der Erklärung des N. T. Part. I. sensum assertivum vocibus tribuit, iisque particulam billig addit: du solltest billig mich tauffen, quam in versione ideo forsan omisit, quia peculiariter in textu originali non exprimitur, ea vero sententia etiam est aequivoca, et a textu aliena, quia activum substituit passivo.

xari a ſuperiori. Haec autem b. Viri verba minus graviter quaeſtionem modo dictam diſſolvunt, niſi, ex ſuppoſita Chriſti dignitate longe eminentiſſima, illam ſuperioritatem, vt ita dicamus, ad hoc vnicum et ſpeciale exemplum reſtringere et explicare velis: eoque omnino b. Viri ſententiam tendere, dicendum eſt, qui potius vnice ad hoc exemplum reſpicere, quam generaliter aliquid aſſerere voluiſſe videtur: *alias* enim nihil vel valoris vel dignitatis baptismo accedit, baptizans ſive ſit inferior ſive ſuperior baptizato, vel baptizando. Interim ex iſtis b. Viri verbis apparet, quod reputaverit, Joannem dictis ſuis baptismum *fluminis* ſiue poenitentiae reſpexiſſe, in quo quidem conſentientes habet *Vinarienſes*, *Tübingenſes*, *Starckium*, *Grotium*, alios. Plenius autem quaeſtionem ſupra dictam diluit, rectiusque Baptiſtae mentem expreſſit b. CHEMNITIVS *l. c.* vberrime docens, *Ioannem his dictis confeſſum eſſe, Ieſum Nazarenum eſſe illum, quem paucis ante docuerat venturum, et Spiritu Sancto atque igne baptizaturum, adeoque eſſe illum, a quo ſolo Spiritus Sanctus omniaque dona ſint exſpectanda, hinc ſine quo ad ſalutem nemo pervenire poſſit.* Ad baptismum igitur *flaminis* verbis ſuis reſpexit Baptiſta, ſecundum ſententiam b. CHEMNITII, quam quoque ſuam fecerunt *Io.* GERHARDVS, 23) *Mich.* WALTHERVS, 24) *M. Andr.* PRVCKNERVS, 25) *S. R.* HEVMANNVS l. c. *alii.* Atque hanc ſententiam ipſam rem rite penſitantibus *praecipue* adoptandam eſſe, et natura rei, niſi tenue nos noſtrum judicium fallit, ſuadet, et circumſtantiarum, in quibus et Chriſtus et Joannes verſabatur, reſpectus. *Primo* enim paulo ante auditoribus ſuis Baptiſta inculcaverat Meſſiam, ceu talem, qui ſe longiſſime ſuperior, et Spiritu Sancto atque igne baptizaturus, ſit 26), Matth. III. 11. Luc. III. 15. 16. dum itaque

23) In Locis Theolog. Tom. IV. Edit. quae Frcf. et Hamb. ſumtibus Zachar. Hertelii 1657 prodiit pag. 253. a. num. 61. ſeqq. vbi ſimul Nazianzenum et Hieronymum allegat, qui idem ſenſerunt.

24) In Harmonia Biblica pag. 757.

25) In Vindiciarum Biblicarum Part. IV. pag. 22.

26) Senſum dictionis: *Baptizare Spiritu Sancto et igne*, omnium optime eventus expoſuit, Feſto ſcilicet Pentecoſtes, ſive Die Spiritus

itaque nunc Christus ipse aderat, baptismumque petebat, quid, quaeso, potius ipsi succurrere poterat, quam celeberrimus ille, per Christum ejusque Spiritum futurus aliquando, flaminis ignisque baptismus? Atque hic est baptismus, quo omnino adhuc se indigere, donis licet spiritualibus, sanctificantibus et administrantibus jam instructus, optimo jure profitetur. *Secundo* officii Baptistae ratio Jo. I. 31. postulabat, vt characteres veri Messiae non distinctissime solum auditoribus suis *proponeret*, sed ut istos etiam ad personam Christi quam studiosissime *applicaret*, iisque Jesum verum Messiam demonstraret. *Prius* paulo ante aduentum Christi perfecerat, dum, Messiam se longissime superiorem, et Spiritu Sancto atque igne baptizaturum esse *l. l. c. c.* dixerat. *Posterius*, horum scilicet characterum applicatio, Baptistae adhuc supererat: hoc autem, dum ipsa illa persona, ad quam characteres isti applicandi erant, jam aderat, optime et commodissime expedire poterat, immo actu expediebat, verbis quippe his, quibus ad Christum: *mihi*, inquit, *opus est*, vt *abs te baptizer*. Nimirum dum sibi profitetur *opus esse*, vt *a Christo* baptizetur, se non comparat tantum cum Christo, illiusque gratia se maxime indigere docet, sed simul quoque Christum tanquam gratiae originem atque fontem, adeoque se longissime superiorem auditoribus suis sistit. Porro, praecipue auditorum suorum animos dirigit ad eum, quem mox ante praedicaverat, flaminis et ignis baptismum, a Messia exspectandum, atque hocce baptismo se omnino adhuc indigere, citra donorum sanctificantium et administrantium, quibus jam ornatus erat, respectum, lubenter profitetur. Quae cum ita sint, quin Baptista verbis suis baptismum flaminis *praecipue* respexerit, nulli dubitamus. Jdeo autem b. RVSSII, eorumque qui cum ipso sentiunt, sententiam improbare, seu baptismum fluminis siue poenitentiae penitus excludere, nil quidquam omnino attinet: quum potius vtramque sen-

ritus, Apostolis aliisque fidelibus collata extraordinaria dona, atque linguae igneae in primis his Christi civibus conspicuae Actor. II. 1. seqq. Mirum itaque nobis videtur, dictionem istam ejusque sensum Interpretum ingenia magnopere exercere potuisse. Cfr. Io. Chrph. Wolfii Cur. Phil. et Crit. in Act. Apost. et Russium l. c. ad h. l.

tentiam conjungi posse, certum habeamus atque exploratum, ita tamen, vt ad Baptismum flaminis praecipuus maneat respectus.

§. 6.

Alterum, quo baptismum Christi deprecabatur Joannes, continetur his verbis: καὶ σὺ ἔρχῃ πρός με; quae quidem ex prioribus sequentem exhibent conclusionem: *Non ergo veniendum est tibi ad me, non opus habes, vt ad me venias subeundi baptismi causa, non indiges baptismo.* Jam baptismus, quem Joannes administrabat, erat *baptismus poenitentiae* Luc. III. 3. Marc. I. 4. Matth. III. 6. *baptismo itaque poenitentiae non indigere Christum, profitetur.* At vero, qui baptismo poenitentiae, postquam gratiae medium a Deo institutus est, non indiget homo, is sine omni prorsus peccato sit oportet. Ab omnibus ergo peccatis immunem Christum eo ipso sistit Baptista, sicuti Paulus describit Hebr. VII. 26. et Petrus 1 Epist. II. 22. qualemque et ipsi illius hostes concedere tenebantur Jo. IIX. 46.

§. 7.

Dantur quidem, qui, nescio quae, hic animadvertunt signa, ex quibus inferre liceat: hoc, quod Christus baptizari voluerit, Baptistae ἄπρεπες et ἀνάξιον apparuisse, certe dubium Baptistam haesisse, quid faciendum sit. Quibus deinde meditanda tantummodo optima fuit, imbecillitatem Baptistae excusandi ipsumque defendendi, ratio 27). Verumenimvero, dubia licet ejusmodi in mente Joannis oboriri, permittente quidem Deo, *potuerint*, eorundem tamen illum accusandi, nec probabilitas quidem adest, nec necessitas vlla. Cum enim Baptista nosset, Jesum, qui baptismum petebat, esse Messiam 28); procul dubio quoque minime ignorauit, Christum nec expetiturum nec

27) Non sine magna animi delectatione legimus S. R. *Christ. Aug.* CRVSII Dissertationem de Decoro divino, in opusculis ejus Philosophico-Theologicis vltimam, vbi pag. 446. seqq. Chrysostomi sententiam affert, quod baptisma Christi ἄπρεπες et ἀνάξιον esse Baptistae visum fuerit.

28) Numne hoc contradicat Dicto Joh. I. 31. 33. vbi, se non cognouisse Jesum, Baptista profitetur, infra sumus disquisituri.

nec susceperum esse quidquam, quod expetendum vel suscipiendum ei non sit. Officii porro Joannei finis, Spho 5. adductus, huic animi suspensioni plane atque omnino adversatur. Nimirum, quod Joannes Christum ad baptismum accedentem prohibebat, non ex haesitatione quadam Baptistae oriebatur, sed officii ratio id postulabat. Quodsi enim Joannes Jesum eadem ratione ac reliquos baptizandos, nullo prorsus observato discrimine, recepisset, populus ideo forsan Jesum pro nudo tantummodo habuisset homine, nec intellexisset, illum esse Joanne longissime superiorem et Spiritu Sancto atque igne baptizaturum, et ipse Joannes nil quidquam demonstrasset, Jesum se longissime esse superiorem, in eundemque tanquam suum Messiam se suam ponere fiduciam: hinc facile fidem in Jesum, tanquam verum Messiam, in populo impedire potuisset: quod tamen fini officii ipsius maxime erat contrarium. Dum itaque Joannes Christum *prohibet*, mihi, inquiens, opus est vt abs te baptizer, et tu venis ad me? prohibitio ista nec simulata, nec dubii animi index, sed seria omnino fuit, et officii Joannis finibus conformis.

§. 8.

Tertium ponderandum nobis textus momentum, non minoris est ponderis, *Responsio*, quam Joanni Christus dedit *v.* 15. ἀποκριθεὶς - ἄρτι· οὕτω γὰρ πρέπον ἐστὶν - - δικαιοσύνην. Vocabula πρέπον et δικαιοσύνη in ea maxime ponderanda sunt 29). *Posterius* primo loco contemplabimur, cum *prius* optime illustret. Parum autem, h. l. omnes vocabuli illius significatus adduxisse, juvabit, quos qui cognoscere volet, adeat STOCKIVM 30). Rem ipsam potius aggredimur. *Primo* Redemtor humani generis adimplere et observare debebat, quaecunque vi legis atque voluntatis divinae humano generi adimplenda et observanda erant Ps. XL. 8. 9.

29) Particulae ἄρτι hic occurrentis emphasin optimo jure observavit Lightfootus in Harmonia IV. Evangelistarum Opp. Cit. Vol. I. pag. 337. Quod scilicet ea ipsa Joanni regesserit Redemtor, nondum esse tempus baptismi Spiritus, nunc autem sibi explenda esse, quae officii ratio postularet.

30) Vid. EIVSDEM Clavis L. S. N. T. ad voc. Δικαιοσύνη.

Gal. IV. 4. Matth. V. 17. Omnis itaque Lex atque Voluntas divina, quam homines adimplere atque obſervare tenebantur, cujusque temerarius neglectus certiſſimum poſt ſe trahebat ſalutis diſpendium, Redemtori humani generis adimplenda atque obſervanda omnino erat. Hominum itaque loco Legi Morali non ſubjici modo debuit Redemtor, ſed Sacramentis etiam illis, quae jam tum divinitus inſtituta erant, vtendum ipſi fuit 31). Hinc, cum hominibus ſalvandis jam tum praeſcriptus eſſet *Baptismus* Luc. III. 2. 3. Jo. I. 32.; ad omnem legis atque voluntatis divinae impletionem, hominum loco, omnino etiam pertinebat ſuſceptio praeſcripti hominibus baptismi 32). *Secundo* non generatim modo legem ac voluntatem divinam in toto ſuo rigore et ambitu hominum loco adimplere atque obſervare debebat Redemtor, omniaque praeſtare quae obedientia activa et paſſiva flagitabat, ſed in officio ſuo quoque *qua modum agendi* habebat praeſcriptum et voluntatis divinae declarationem, quam obſervare oportebat, et cuſtodire, quod, ſecundum conſilium aeternum et *oeconomiam divinam*, *officii* ſui rationi maxime erat conveniens. Illud quod alibi Salvator expreſſa teſtatur Jo. X. 18. XII. 49. XIV. 31. hoc etiam loco commode applicari poteſt. Nimirum: dum baptismus Joannis in manifeſtationem Redemtoris erat conſtitutus Jo. I. 31.; ipſe Salvatoris ad baptismum Joannis acceſſus manifeſtationi huic quidem optime inſerviebat, et *oeconomiae divinae*, atque voluntatis divinae declarationi luculenter reſpondebat. *Tertio* Redemtor Sanctiſſimus non ea tantum, quae voluntati divinae conformiter ipſi pro nobis praeſtanda erant, perfecte adimplere, ſed, vt ipſius quoque juſtitia nobis imputari fructusque ſatisfactionis applicari poſſet, efficere debebat. Miniſterium itaque Verbi et Sacramentorum conſtituit et media gratiae ordinavit 2 Cor. V. 18. Quare etiam media illa ſanctificare vtique ipſum decebat. Atque hoc quidem baptismum ſubeundo vtique praeſtitit Redemtor. 33) *Quarto* denique

31) Cfr. Harmonia IV. Evangeliſtarum Chemnitio-Lyſero-Gerhardina Tom. I. pag. 101. et Tom. II. P. II. pag. 375. ſeqq.
32) Cfr. Jo. Gerhardi Loc. Theol. Tom. IV. pag. 305.
33) Conf. quae hanc in rem habet CHEMNITIVS l. c. ad h. l. et b. GERHARDVS LL. Theol. T. IV. P. 305 ff.

que : abluuntur peccata noſtra baptismo 1. Cor. VI. 11. et baptismus conſcientiae bonae ἐπερώτημα εἰς Θεὸν conſtituitur. 1. Petr. III. 21. quia baptismo mors Chriſti totumque ipſius meritum fit noſtrum Rom. VI. 3. et vetus homo noſter cum Chriſto cruci affixus ſiſtitur v. 6. De hoc autem ne vlla ratione dubites ; En! ipſum Agnum Dei peccatis noſtris onuſtum Io. I 29. Jeſ. LIII. 6. ad Jordanem venientem, peccata noſtra in mare projicientem, Mich. VII. 19. Omnia ſane iſta abunde teſtantur, Redemtore dignum vtique fuiſſe, vt juſtitiam omnem pro nobis impleturus, ad baptismum accederet. Atque ex his quidem, quae diximus, inter ſe collatis, facile apparebit, quam late vox Δικαιοσύνης pateat, eandem ſcilicet non tantum, *quidquid legi et voluntati divinae conformiter fit, ſed etiam quicquid in reſpectu* ad officium Redemtoris. et quoad ipſam rem et quoad modum agendi, per particulam ὅτω indicatum, aequi boni atque honeſti rationem habet, ſummamque perfectionem indicat, indigitare. Conſentiunt nobiscum b. *Abrah* CALOVIVS 34) b. *Aegid.* HVNNIVS, 35) STOCKIVS l. c. b. *Io. Alb.* BENGELIVS 36) alii.

§. 9.

Ex illa autem vocis Δικαιοσύνης latitudine §pho praec. adducta facile latitudo vocis πρέπει dijudicari poteſt. Quodſi enim, vt commonſtravimus, vox δικαιοσύνης tam late patet, vt non modo quaecunque legi diuinae conformiter fiunt, ſed etiam quicquid in iis aequi atque honeſti rationem habet intenſioremque perfectionem involvit, complectatur; τὸ πρέπον, voci Δικαιοσύνης adhaerens, ad officia omnia, quae voce δικαιοσύνης exprimuntur, pertinet, et in omnibus eximium perfectionis gradum determinat. Pro diverſa ſcilicet vocis Δικαιοσύνης acceptione, diverſe etiam vox πρέπει, ſi voci Δικαιοσύνης adhaeret, accipitur. Nimirum ſi haec officia neceſſaria exprimit, neceſſariorum, ſi non neceſſaria etiam horum, ſi vtraque omni-

34) In *Bibl. N. T. illuſtratis Tom.* I, *pag.* 163.
35) In *Commentar. in Matthaeum* ad *h. l.*
36) In *Gnomone N. T. ad h. l.* ſcribens: omnes juſtitiae partes, atque adeo hanc quoque, caeterarum majorum arrhabonem.

omnium intensiorem exprimit perfectionem. Atque hoc nemini mirum videri potest, cum jam generatim secundum vsum loquendi tam vulgarem quam eruditorum τὸ πρέπον officia tam necessaria, quam congrua et pulchra includat. Cfr. quae hanc in rem a CICERONE 37) adducta sunt. Cui recentiora arrident, illi commendatum volumus S. R. CRVSIVM, 38) propter rerum, quas habet, vbertatem. Paulo laxior caeteroquin *notio Decori* constitui videtur, *actione, quae signum est perfectionis.* Facile tamen restringi potest, si perfectionem *intensiorem* intelligas. Praeoptarem etiam, certe in hac materia praesenti necessarium duco, *moralis* determinationem addi. Sicuti enim officia congrua, pulchra, sive, vt philosophi communiter loquuntur, imperfecta, ad ideam τῦ πρέπε completam, pertinent, nec illi, qui sola officia necessaria sive perfecta adimplet, custodia τῦ πρέπε tribui solet: ita exinde apparet, illi, qui τὸ πρέπον observat, sublimioris perfectionis moralis studium adscribendum esse, quam qui sola officia necessaria observat. Sublimioris autem perfectionis moralis in adimplenda omni justitia studium in summo omnino gradu Salvatori nostro tribui debet, vt in impletione officii sui, summam perfectionem, pulchritudinem, πεπείκεν, perfectissime servaverit. Hinc τὸ πρέπον et h. l. habetur, et alio, qui ordinem et oeconomiam divinam, quoad consecutionem status Christi exinanitionis et exaltationis, docet, Hebr. II. 10. vt omnia, quae ad vtrumque Redemtoris statum et triplex ejus officium pertinent, perfectissimo modo, constituta esse intelligas. Neutiquam ergo τὸ πρέπον necessitatem excludit, sed potius supponit et involvit, vti etiam ad Hebr. II. 10. observat *Seb.* SCHMIDIVS 39), adversus *Pontificios* et *Photinianos* disputans.

§. 10.

Supersunt, prius quam ad aliud momentum progrediamur, commemoranda quaedam de baptismi Christi *finibus*, quibus probe pensitatis

37) *De officiis Lib. I. Cap.* XXVII.
38) In *excit. Dissert.* de *Decoro divino* §. IX. *ff.* et qui praesertim huc spectat §. LXIX.
39) Vid. *Seb.* SCHMIDII *Commentarius in Epistolam D. Pauli ad Hebraeos* pag 218.

ſitatis adhuc plenius intelligi poterit, quod in baptismo ſubeundo Chriſtus, quae *neceſſaria* ſimul autem in omnibus huc pertinentibus decora fuerunt praeſtiterit, hinc etiam in hoc modo agendi ſummam ſervaverit perfectionem. Neceſſitas, quae hic habetur, omnis hypothica ex hypotheſi ſcilicet officii Redemtoris et finis a Deo per miſſionem Filii intenti, ſalutis hominum, atque oeconomiae divinae, tum in promovenda hominum ſalute, tum in manifeſtatione Redemtoris, hinc ſola moralis eſt. *Neceſſarium* hinc in baptismo Chriſti dici poteſt id, quo non poſito vnum alterumve ex dictis non obtinetur. Quidquid autem non ita quidem neceſſarium eſt, ad illuſtrationem tamen, ad dignitatem, ad convenientiam, referendum eſt, id omne cum illis ipſis, quae neceſſaria dici poterant, ad *Decorum* pertinet. Secundum hanc ideam Decorum baptismi Chriſti ex his ejus finibus *praecipue* derivamus: 1) Quod omnem juſtitiam implendo etiam huic praeſcripto divino hominibus dato ſatisfaciendum fuerit. 2) Quod media ſalutis noſtrae, adeoque baptismum ſanctificare Salvator voluerit. Sanctificavit autem baptismum eo, quod ipſo ſuo baptismo totum ſe ſuumque meritum cum hoc regenerationis lavacro conjunxit, vt per baptismum ipſius meritum fiat noſtrum, nosque per baptismum ſanctificemur. 3) Quod omnem, quae in nos *etiam ex baptismo*, redundat, gratiam, ſoli Redemtori acceptam ferendam eſſe, docendi fuerimus. 4) Quod baptismo manifeſtandus fuerit Redemtor. 5) quod baptimo ad officium ſuum publice inaugurandus fuerit, 40) 6) Quod baptismus publice per Redemtorem ceu divinus approbandus fuerit. 7) Quod praefigurationes in typis adumbrantibus conſpicuae in Chriſto antitypo implendae fuerint. 8) Quod Jeſus Chriſtus venire debuerit Aqua et Sanguine 1 Jo. V. 6. 9) Quod Redemtori ex eadem ratione, ex qua Sacramentis V. T. vſus erat, etiam conveniens fuerit, Sacramento N. T., jam tum divinitus inſtituto, vti, vt vtriusque foederis bona ad ipſum ceu eorum principium referantur.

40) Cfr. quae de *Inauguratione Chriſti* ad officia ſua in baptiſmo facta, more ſuo, i. e. erudite diſquirit S. R. *Dn.* PRIES, Ph. et S. S. Th. D. et Moralium P. P. O. in hac Academia celeb. ſummopere colendus, in Diſſertatione *De Officiis Chriſti nonnulla momenta generalia* ſiſtente 1756. vertil.

ferantur. 10) Quod exemplo suo, quanti omnia mandata divina habenda sint, publice testificare voluerit. 11) Quod, quousque fieri posset, fratribus suis fieri voluerit similis. In omnibus autem his simul sumtis Decorum manifesto conspicitur: Totusque baptismus Christi omni jure referri potest ad Decorum Salvatoris respectu 41)

§. 13.

41) Cfr. de his omnibus *b.* CHEMNITIVM *Harm. cit.* ad *h. l. b.* GERHARDVM l. c. § 205. et *S. R.* CRVSIVM l. c. §. LIX. Ex iis autem, quae adduximus, facili jam negotio apparebit, *nihil* quidquam esse, quod LIGHTFOOTVM contra b. *Chemnitium* armare potuerit, nisi sola, quantum nos quidem sentimus, sectae suae hypothesis, *quod Sacramenta non sint signa gratiae exhibitiva, sed tantummodo significativa*: nihil, quod eum adversus *Patres*, qui in explicando termino *justitiae* etiam ad legis impletionem respiciunt, excitare potuerit, nisi *minus attentus animus*. *Primo* quidem *Chemnitium* laudat, quod rectius ac reliqui omnes ad scopum pervenerit, eumque fere attigerit: *Deinde* autem mentem ejus incomplete adducit: et *tertio* addit: Implere omnem justitiam ex mente *Chemnitii* esse, ea omnia praestare, *quae ad augendam in hominibus justitiam quovis modo inservire possunt*. Illud vero est pervertere mentem b. Viri et limitibus coarctare incongruis. Loquitur potius *Chemnitius* expresse de meritoria Redemtoris justitia ejusque per ministerium Verbi et Sacramentorum, applicatione, neutiquam de justitia *inhaesiva* in hominibus *augenda*. Cum autem *quarto* Chemnitio objicit errorem, *quod necessitatem quandam statuat, vt Christus in propria persona susciperet, per quae homines deinde sanctificandi erant*, cum *institutio sola* sufficere potuisset, ea perquam futiliter dicta sunt, partim quia recurrit ea, quam modo notavimus, confusio: partim, quia temeritatis est in rebus divinis determinare, quid sufficiat, cum hoc soli Deo relinquendum sit: partim, quia omnino actio Christi propter infinitam suam dignitatem, actionem nostram, fide in ipsum peractam, perficit, Deoque acceptam reddit, partim, quia Sacramenti Coenae, quod ceu exemplum affert, alia est ratio, quippe quod tempore baptismi Christi nondum erat institutum, quare respiciendum potius erat ad Sacramenta V. T. Cum tandem *quinto* temerariam sententiam b. *Chemnitio* affinxit, ac si sentiat, verba Christi in plurali loquentis πρέπον ἐστὶν ἡμῖν - - - Joannem impletionis justitiae facere participem: illi §pho seqq. erimus satisfacturi. Quae *Patribus*, qui ad legis impletionem respi-

§. II.

Duo adhuc, sed exigua, momenta circa hanc materiam nobis ponderanda sunt. *Primum*: quomodo *Ioannes Iesum, vt Messiam, excipere potuerit, quem ante non cognouisse expresse testatur Io.* I. 31. 33? *alterum*: quomodo verba Christi *in plurali loquentis*; πρέπον ἐστὶν ἡμῖν - -

respiciunt, *Lightfootus* opponit, ad *duo* redeunt 1) *quod* impletio legis a Christo praestanda non pertineat ad Joannem 2) *quod* probari non possit baptismum Christi, a Joanne administratum, fuisse partem legis a Christo implendae. *Prius* mox §pho seq. perscrutabimur. In *posteriori* autem per attentionis neglectum *medius terminus* cum *re probanda*, et *conclusio* cum *minore* argumenti confunditur. Probat Redemtor, quod baptizandus sit, inde, quia omnem explere debeat justitiam. Nunc, omnium Logicorum confessione, medius terminus latioris extensionis esse et plura complecti *potest*, quam praedicatum conclusionis. Ex eo itaque, quod baptismus non pertineat ad legem, perperam concluditur, quod in minore argumenti ad legem respici nequeat. Eodem ergo omni jure respexerunt Theologi b. *Chemnitius, Gerhardus* ll. cc. *alii*. Interspersis tandem fictis et commentitiis quibusdam suam subjungit *Lightfootus* sententiam: nimirum, Christum legem caerimonialem Exod. XXIX. 4. Lev. IIX. 6. implere oportuisse, et baptismo Sacerdotem inaugurandum fuisse. Hanc ipsam autem suam sententiam, generaliter et sine restrictione intellectam falsam omnino pronunciamus, quia a) Christus non tenebatur Lege Levitica Sacerdotum, cum non esset ex tribu Levi Sacerdos. b) Confunditur baptismus Joannis *poenitentiae* cum *Lege Levitica*. c) Typi quidem exprimunt symbolice, quae sunt in antitypo, vnde antitypi cum typis merito ponitur congruentia: neutiquam vero *ratio a priori* eorum, quae antitypo insunt, repetenda est ex typo, sed re inversa potius ita typus instructus est, quia, quod in antitypo futurum erat, exprimere debebat. Nec d) omni respectu et sine restrictione dici potest, Christo implendam fuisse Legem Caerimonialem Leviticam, quia alias etiam typica debuisset offerre sacrificia, quod et falsum, et nullibi legitur. e) Inaugurandus vtique per baptismum ad officium suum fuit Redemtor, et, hoc illa Lege Levitica praefiguratum esse, non abnuimus: sed, quod inauguratus sit Lege Levitica Redemtor, aut baptismum suum susceperit eo solo principali fine, vt Legem Leviticam illam impleret, hoc falsum,

ἡμῶν - - *ad Ioannem quadrent, vtrumne Ioannem impletionis iustitiae participem faciant?* Ad vtrumque breviter respondere possumus, cum omnem, quae hic forte adesset, difficultatem iam dudum sufficienter sustulerint Interpretes. Ad *primum* quod attinet, idem ipse Spiritus, qui Joannem adhuc in vtero matris delitescentem agitavit, potuit etiam, circa aditum Salvatoris ad baptismum, Joannem immediata revelatione certiorem facere, hunc esse Messiam: potuit autem ipse quoque Redemtor, vel qui cum ipso erant, ante baptizandi actum Joanni suppeditare, adesse Jesum, vt itaque, supposita Joannis de eo, quod Jesus sit Messias, cognitione, revelatione immediata simpliciter non fuerit opus. Et vnum alterumve factum esse citata Joannis verba, cum eventu collata, omnino comprobant. In his itaque solis subsistimus, praesertim cum, quod Joannes Jesum de facie, ejusque personam, jam ante noverit, vllo idoneo argumento adstrui nequeat 42). *Alterum* quod attinet, in eo continetur

42) Cfr. hac de re pluribus Chemnitius, Russius, Wolfius ll. cc. ad h. l. Dissentit quidem vir S. R. Heumannus, sentiens, quod Baptista Christum quidem de facie, non autem tanquam Messiam, cognoverit, antequam baptizaretur Christus: at 1) non vllum eorum, quae attulit, argumentum idoneum deprehenditur. Provocat 1) ad *cognationem* 2) ad *loci propinquitatem* 3) ad *Joannis in patria usque ad trigesimum annum commorationem*. Ea autem omnia possibilitatem tantum, eamque generalem, nullam probabilitatis, multo minus certitudinis rationem ponunt. Ex *propinquitate loci* nil quidquam concludi potest. Ab vrbe enim Hebron, vel vrbibus Levitarum, in tribu Judae sitis, vrbs Nazareth interjecta quatuor tribuum latitudine, plus quam viginti milliaribus germanicis distabat. Et si quid ex his pro notitia aut conversatione sequeretur, quomodo tanquam singulare aliquod visitationem Mariae admirari potuit Elisabetha? Luc. I. 43. Propter distantiam loci autem, omnino non adeo exiguam, pariter cadit, per id, quod num. 3. dicitur, quidquid ex num. 1. evinci forsan posset. Ipsa etiam historia nullibi Jesu cum Joanne conversationem docet, quin potius eosdem locis satis distantibus commoratos esse insinuet: cfr. Luc. I. 80. II. 39. 51. IV. 16. Matth. II. 23. Marc. I. 9. II) Prorsus improbabilis Viri S. R. sententia nobis etiam ideo videtur, quoniam incredibile est, in ejusmodi conversatione cum Jesu nil quicquam de eo obvenisse, quod

netur commonefactio Joanni data, quod et ipsum deceat, suo satisfacere officio, omnemque et ipsi, pro ministerii sui ratione, incumbentem justitiam implere. *Nos*, inquit Christus, *implere decet omnem justitiam*, quae scilicet *cuivis* nostrum incumbit, *mihi* quidem, vt Redemtori, *tibi*, vt ministro ad baptizandum divinitus constituto. Vtique ergo verba Christi in plurali loquentis Joannem impletionis justitiae faciunt participem, sed *neutiquam meritorie*, ratione acquisitionis Christi Es. LXIII. 3. *sed vnice organice*, ratione applicationis Baptismi, 1 Cor. III. 9. 2 Cor. V. 9. vt scite annotat WALTHERVS 43). Atque sic omnia cohaerent, eademque etiam b. *Chemnitii* sententia est, cui itaque non sine injuria *Lightfootus* obtrudit, quasi statuat, *Baptistam a Christo participem factum esse eorum, quae ad hominum justificationem pertinent.*

§. 12.

Sequitur *Quartum* nunc considerandum quod textus exhibet, Venit Redemtor baptismum susceperturus. Prohibet eum Joannes ex ratione quidem ministerio suo conformi. Docetur a Christo, et docetur quidem ex iis, quae ad convenientiam cum Opere Redemtorio spectant, quaeque Dei de redimendis hominibus consilia, eorumque hominibus imperveſtigabilem rationem, attingunt. Vis haec divina divinorum argumentorum eum, quem paulo ante prohibentem videbamus, mox dicto audientem reddit: τότε ἀφίησιν αὐτόν,

 certis-

quod sit Messias, cum ipsa haec veritas animos Mariae et Elisabethae arctiori vinculo conjunxerit Luc. I. 36. 39 seqq. immo eventus vtriusque adeo fuerint singulares, vt maximum conversationis tempus illorum memoria occupasse videatur. Hinc si quid asserendum sit, Joannem, Jesum esse Messiam, quam Jesum ejusque personam cognovisse, asserere mallem. Vir S. R. *Theod. Chrph.* LILIENTHAL in praeclaro scripto: die Gute Sache der Göttlichen Offenbarung Th. III. §. 344. Joannem non modo Jesum de facie sed tanquam Messiam etiam cognovisse asserit, verbaque Baptistae Jo. I. 31. de sola conversatione *familiari* intellecta vult; Sed, quod vtrumque Joannes cognoverit, aperte verbis: *Non cognovi eum* contradicit. In confessione itaque Joannis subsistimus: *Non cognovi illum*, saltem scilicet de facie.

43) vid. *Ejusdem* Harm. bibl. ad h. l.

certissimo indicio, Baptistam plene convictum fuisse, Jesum Nazarenum esse, qui, consiliorum divinorum particeps et intime gnarus, optime nosset, quid Redemtore dignum sit, cuique humillima omnino fide obsequendum sit. Neutiquam exigua aut parvi ponderis haec est in baptismo Christi circumstantia, quin potius sublimia quaecunque et summa capita et argumenta de Christo ejusque persona suppeditet.

§. 13.

Baptizatur Jesus, et omnem nobis parat cum baptismo conjunctam benedictionem. At novam Ecce! atque singulariſſimam circa ejus baptismum circumstantiam! Momentum quod ponderandum nobis est *quintum*. Jesus baptizatus εὐθὺς ἀνέβη ἀπὸ τοῦ ὕδατος, quod quidem nullibi ab vllo baptizatorum factum esse legitur. Hi enim ad baptismum poenitentiae accedebant de poenitentia vera ejusque veris fructibus commonefaciendi, hinc, aliquantulum in admonitione commorari debebant, provt ex iis, quae Lucas Cap. III. 7. seqq. et v. 18. recenset, abunde intelligitur. Hoc autem in baptismo Salvatoris factum esse, negatur, dum, statim a baptismo susceptο ascendisse Jesum, dicitur. *Non* itaque *ante* receptum baptismum institutionem reliquis baptizandis necessariam accepit, quia potius *Ioannes* docendus et commonefaciendus erat: *Non post* baptismum, quia εὐθὺς, postquam baptizatus erat, ascendebat, *non* quidem *ex* aqua, sed, vt Evangelista dicit, ἀπὸ τοῦ ὕδατος *ab* aqua, a *ripis* Jordanis, quibus quippe adstantes *baptizati* per Joannem de poenitentia, fide, ejusque fructibus, communiter instruebantur. *Nulla itaque prorsus institutione indigum haec circumstantia Iesum Nazarenum sistit*, qui quippe est *Doctor vniversalis vnicus, qui Dei voluntatem et oeconomiam de nostra salute nobis vnice* manifestavit *Io.* I. 18.

§. 14.

Aliud hic quoque momentum ex loco parallelo *Luc.* III. 21., considerandum est! Baptizatus Redemtor *orat*: preces vtique fundens ad ipsam rem praesentem compositas. Versabatur autem Christus in suscipiendo officio suo: versabatur in momento, quo manifestandus erat Messias: versabatur in sanctificatione baptismi, versabatur denique in momento publice declarandae suae vnctionis

vnctionis, et testimonii coelestis, de se, tamquam Messia, dandi. Orasse itaque dicendus est pro auspiciis officii sui publici, nunc subeundi, felicique illius progressu atque exitu Hebr. V. 7. oravit pro illa divina gloriae suae illustratione et sui tanquam Messiae publica testificatione divina, cujus exemplum legimus aliud *Io.* XII. 27. 28. XVII. 5. oravit pro baptismi nostri sanctificatione, hinc meriti sui per baptismum applicatione *Gal.* III. 27., foederis bonae conscientiae Deum inter et homines constitutione, confirmatione, et obsignatione 1 *Petr.* III. 21. Spiritusque S. per ipsum nobis acquirenda concessione *Eph.* II. 18. Pro nobis itaque preces fudit, et sola ea, quae ex officio Redemtorio fluit, obligatione, quamque, Legi liberrime semet nostri loco subjiciens *Gal.* IV. 4., suscepit 44) Illustrissima et intellectui finito non satis admiranda ratione preces has exauditas esse, testantur, quae sequuntur.

§. 15.

Namque, quod *Sextum* est momentum, aperti sunt coeli, et visibili, atque *corporali columbae specie descendit Sp. S., supervenit Iesum, super eodemque manfit*, etc. sicut porro docet, textus noster v. 16. ff. Conf. *Io.* I. 32. Vere haec omnia gesta, et de Christo intelligenda esse, quemlibet, attenta mente lecturum, vocum idearumque docebit compositio. Sunt, qui rem non *actu* factam, sed *visione* (sive eam *imaginativam* dixerint sive *intellectualem*) neutiquam *visu* perceptam sibi aliisque persuadent, contra quos disputant CHEMNITIVS, LIGHTFOOTVS ll. cc. *S. R.* HEVMANNVS hic etiam, *visionem Baptistae*, illi, quae *Act.* X. 11. habetur, similem, et *cum ecstasi conjunctam*, statuit. At vero eam hypothesin rursus nec vllo argumento probabili comprobat 45).

§. 16.

44) Velim B. L. conferat ea, quae de obligatione Christi ad preces fundendas adversus Haferungium disputata sunt, quorumque brevem sufficientem tamen recensionem dabunt die Unsch. Nachr. oder Saml. von A. und N. ꝛc. 1730. 1731. 1732. sparsim.

45) Provocat quidem ad ipsam rem, quam hoc docere putat, sed illi nulla inest, quae hoc flagitet, necessitas, nec ex *re ipsa* eam vllo verbo elicuit consequentiam Vir S. R. Addit quidem, locutionem biblicam

§. 16.

Disputatur etiam de subjecto, cuinam coelum apertum sit, et Vir S. R. HEVMANNVS *Ioanni* apertum fuisse docet, idemque probare vult ex *Io.* I. 32. testatur LVTHERVM qui errorem praeventurus Joannem nuncupaverit in versione sua. Vtrumque autem fundamento destituitur. Ex *Io.* I, 32. intelligitur quidem, Joannem coelos apertos vidisse, et Spiritum Sanctum descendentem, neutiquam autem, quod Joanni coelum apertum fuerit. Nec Lutherus Joan-

blicam *omne* exemturam *dubium*, et ad *Actor.* X. 11. provocat, verum in eo nulla probandi vis occurrit. In hoc enim loco expresse v. 10 dicitur, *quod in ecstasi fuerit Petrus*, de quo textus noster omnino silet. Sunt potius in re ipsa argumenta gravissima, quae non nudam visionem, sed rem vere factam evincunt. 1) enim *visioni* nudae propheticae refragatur vox εἶδε, quae non ad aperturam coeli sed ad descensum Spiritus Dei refertur 2) *non* dicitur: *vidit* coelum apertum, vt *Actor.* X. 11. sed res ipsa facta narratur: ἀνεῴχθησαν .. οἱ οὐρανοὶ 3) τὸ εἶδε, *quod ad* descensum Spiritus Dei refertur, et visionis defensores arripuerunt, neutiquam de Joanne sed de Christo intelligendum est, βαπτισθεὶς enim ὁ Ἰησοῦς expresse in textu nuncupatur, non aliud subjectum. Idem adhuc clarius habet Marcus *Cap.* I. 9. 10. Ἰησοῦς .. ἐβαπτίσθη .. καὶ εὐθέως ἀναβαίνων .. εἶδε .. 4) *Vidit autem* Joannes quoque, quod expresse dicitur *Jo.* I. 32. 33. 34 et ex hoc loco non ex Matthaeo aut Marco probandum est, vt recte jam quondam *Zegerus* notavit (*Cfr. Critic. Anglic.*): atque hoc iis, quae *Matthaeus* et *Marcus* habent, neutiquam contradicit, cum vnius positio non sit alterius exclusio. At 5) *Nullum* vllibi exemplum deprehenditur visionis duobus, de eadem re, eodem tempore, eodem loco, datae. 6) *Quod in versione Marc.* I. 10. Joannem subjectum facit Vir *S. R.* HEVMANNVS, ex facto fit, et nihil ipsum juvat. 7) *Lucas* autem prorsus nihil de visione sive sensuali sive intellectuali affert, nec Joannem quidem in hac pericopa nuncupat, sed rem totam nude, vt facta est, recenset, omnem eo ipso destruens propheticae visionis, Joanni objectae, conceptum 8) *Infirmum* hypotheseos de visione ecstatica fundamentum et ex eo elucet, quod necessum habeat Vir S. R., fateatur, *vocem ipsam* realiter coelitus factam non visione perceptam esse.

Joannis nomen versione sua hic expressit, sed tantummodo verbo εἶδε illud adjunxit, et illi verbo adjungere potuit, quoniam *etiam Ioannes* vidit Spiritum Dei descendentem *Io.* I. 32. 34. Quodsi ex solo intuitu dicendum sit, Joanni coelum apertum fuisse, eadem quoque ratione populus adstans huc trahendus foret, qui vtique etiam vidit, vt mox docebimus. Βαπτισθεὶς ὁ Ἰησοῦς potius vnice est, cui coeli aperti fuerunt: hic enim in textu nuncupatur, non aliud subjectum, αὐτῷ ἀνεῴχθησαν οἱ οὐρανοὶ non Joanni non aliis praesentibus 46). Aperti autem sunt coeli non nude apparenter, aut phoenomeno et chasmate communi,(quod neque singulariſſimam per τὸ ἰδὲ excitatam attentionem provocaret, neque coelorum sciſſionem, vt Marcus habet, efficeret,) sed reali, miraculoso, hinc prorsus divino, modo. 47) Aerem tantum non aetherem apertum fuisse putat *Lightfootus l. c.* sed conf. quae *Io. Andr.* QVENSTEDIVS 48) contra *Lucam Burgensem* et *Cornelium a Lapide*, qui hac in re idem, quod *Lightfootus*, senserant, adduxit. Hoc certum, in eodemque solo subsistendum est, *coeli sciſſionem adeo distincte conspicuam fuisse, vt Iesu et nulli alii factam intelligi potuerit.* Quod quomodo factum sit, interpretes, ne simpliciter quidem renuente *Lightfooto l. c.*, ita communiter exponunt: *Lumen*, dicunt, *e coelo emicuit, atque Christo imminuit, eoque posito, ipsi non reliquis apertum esse coelum intelligi potuit* 49). Quae si vera essent, palam inde fieret, quod eousque lucem protendentem spectatores cernere potuerint, quousque hominum adspectui patere potuit, hinc aliter quam ex coelo sciſto eradiantem lucem nemo judicaverit. Interim tacente textu nemini lumen visum obtrudimus. Hoc autem ex textu nostro dilucide apparet; *apertos Salvatori coe-*

 los

46) Atque hoc quoque ita manifestum judicavit *Lightfootus*, vt cum negare nollet, Joanni coelum apertum fuisse, necessum tamen existimaverit asserere, singulari ratione Christo quoque apertum fuisse.

47) Conferri merentur, quae in hanc rem habet *Chemnitius* l. c.

48) In *Theol. Didact. Polem. Part. I.* Cap. IX. Sect. I. pag. 324.

49) Traditionem a Justino, vt supra diximus, allegatam omni fundamento esse destitutam hucusque, quantum nos quidem meminimus nemo evictum dedit, eandem autem ex sententia de luce, e coelo emissa, facile oriri potuisse non incongruum judicamus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn840951965/phys_0033
DFG

los spectatoribus omnibus conspicuos fuisse, Spiritum S. visibili columbae specie ex coelo diffisso descendisse, vocemque non aliunde atque ex coelo scisso auscultatam esse: et haec quidem, maxime cum Spiritus S. Iesu soli non alii cuidam appropinquaret et in eodem maneret, satis superque spectatores convictos dedisse, quod αὐτῷ, soli Iesu, aperti coeli sint.

§. 17.

Sequitur jam singularis illa θεοφανέια in baptismo Christi facta. *Spiritus S.* descendit specie columbae super Jesum, et vox *Patris* testatur de *Filio* ad Jordanem praesente. Descendisse Spiritum S. specie columbae expresse dicitur 1) ne nudam columbam imagineris, sed cum Spir. S. vnitam, vnione quidem parastatica, qua Spir. S. χηματοποιούμενος, vt dicit Epiphanius, sibi dicto modo vnitum columbinum corpus gubernavit, 2) vt intelligas, descensum nuncupari propter descendentem cum Sp. S. vnitam columbam, quae vtique successive ex alto, super Christum descendere debuit 3) vt ad specialissimae Spiritus S. praesentiae manifestationem attendamus. Qui enim jam a primo existentiae humanae Christi naturae momento eidem praesentissimus fuit, suisque donis vnxit *Luc.* I. 35. II. 40. is publice singulariſſimam suam praesentiam nunc etiam coram hominibus demonstravit, cum ministerium Spiritus Salvator publice esset inchoaturus. Vt itaque propter homines, et vt in his distincta et omni dubio carens excitetur praesentiae Sp. S. convictio, successive factus sit descensus. Vere autem columbam apparuisse, et visam esse, textus expressis verbis docet, et Lucas, vt ne vllum dubium superſit, *Cap.* III. 22. Sp. S. descendentem sistit σωματικῷ εἴδει, ὡσεὶ περιστερὰν, et *Io.* I. 32. 34. testis αὐτόπτης Baptista adducitur. Incredibili itaque temeritate *Hammondus* 50) negat columbae specie apparuisse Sp. S., cum nihilo tamen secius conspicuum fuisse certa quadam visibili specie, speciem columbae praebente, concedere teneatur. Angelos, putat, nube lucida, Dei vel Sp. S. praesentiae indices, apparuisse, et eo modo, vt columba aliquid supervolitat, Jesu Nazareno insedisse. Ea autem cuncta ingenii sunt humani inventa. Quamvis enim

50) *In not. et Paraph. in N. T. ad h. l.*

enim non negemus, angelos actui baptismatis Christi adfuisse, de iis tamen, eorumque apparitione *coet.* textus omnino silet: hinc nec a nobis quidquam hic fingendum est, praesertim cum angelorum ad Jesum accessus tum demum factus esse dicatur, cum superata tentatione diabolica ipsi darentur ministri *Matth.* IV. 11. In Θεοφανείᾳ itaque hac nude h. l. subsistamus, nec patiamur, illustre hoc SS. Trinitatis documentum quibusvis ingenii humani foetibus vel obscurari, vel nobis subduci. Videndi tamen sunt contra *Smalcium* et *Hammondum* disputantes DORSCHEVS et OLEARIVS 51) nec minus *Theophilo Amelio* et *Io. Henr. Majo* semet opponens RVSSIVS c. l. 52). Missis his, rem ipsam contemplantes potiora annotabimus scopo nostro maxime inservitura 1) Singulari prorsus et admirando modo, qualis nemini vel Regum vel Sacerdotum vel Prophetarum, (quibus caeteroquin etiam superveniisse Sp. S. legitur, 1 *Sam.* X. 6. XVI. 13. 2 Reg. II. 9. 15. III. 12. Num. XXIV. 2.) accidit, Spiritum S. in Christum descendisse legimus, cum nullis non solum mediis adhibitis factum hoc sit, sed publice etiam et visibili modo, vt textus noster innuit, 2) Illi, qui quondam in V. T. vncti erant, *non continuo* sibi vnitum habuerunt Sp. S., sed per intervalla. Jesus autem Spiritum S. continuo sibi vnitum habuit, non per intervalla, quod et hic manifestatur, dum super Jesum dicitur *manssisse* Sp. S. 3) Vt nunquam non operosus est Spiritus S. in iis, quibuscum vnitus est, dona vel sanctificantia vel administrantia eaque vel ordinaria vel extraordinaria operando, ita in Christo pariter operatus est singularissime, tum a primo hujus vnionis initio tum post hanc illius vnionis visibilem manifestationem, quoad omnia ea, quae ad officium ipsius pertinebant, id quod non modo per ea docemur, quae statim

 sequun-

51) Vterque ad *h. l.* Iungi iisdem potest QVENSTEDIVS *l. c.* contra *Smalcium* et *Schlichtingium* aliosque *Socini* assecias disputans, atque contra *Socinum* in hac ipsa causa pugnans *Josua* STEGMANNVS *Christognosiae P.* II. *pag.* 79. *aliique* a. *S. R.* WOLFIO *l. c* excitati.

52) Columbam solum in hunc finem divinitus productam postea cessante fine existere desiisse sentientes deprehendes CHEMNITIVM l. c. et GERHARDVM. Quae in contrarium afferri solent, ea legi possunt apud *Chemnitium l. c.* et *Stegmannum l. c.* pag. 41.

sequuntur Matth. IV. 1. Marc. I. 12. Luc. IV. 1. sed et in omnibus ejus officii actibus conspicuum fuit. Act. X. 38. Ornavit autem ipsam humanam Christi naturam ἐξοχαῖς et ὑπεροχαῖς excellentissimis, ita vt finitis etiam donis *Luc.* II. 52. omnes alios homines *Ps.* XLV. 8. quin et ipsos angelos *Hebr.* I. 7. 8. 9. *cfr. Matth.* IV. 11. antecelluerit. 4) Quamvis jam per haec excellentissima dona summa sit Christi hominis excellentia atque praerogativa, non ea tamen sola, sed ipsa etiam dona infinita Christo homini concessa involvit Vnctio Sp. S. qua Christus vnctus est. *Jo.* III. 34. 53) 5) Cum Redemtor in apotelesmatibus officii sui

53) Sunt, qui vnctionem hanc nonnisi ad dona *finita* Christo concessa referunt, quod novissime fecit Vir *S. R. Jo. Chph.* KOECHERVS *Diss. de Vnctione Christi.* Si dicendum quod res est, rationes allatae evincunt quidem, quod dona spiritualia, hinc et illa excellentissima Christo secundum humanam naturam formaliter competentia, vnctione Spiritus S. Christo collata sint: quod autem sola dona finita, non infinita concessa sint, minime demonstrant. Ex iis, quos secum concordantes excitat Vir S. R. non videtur esse *b.* BVDDEVS, quippe qui *Instit. Th. Dogm.* pag. 744. finita quidem dona nuncupat, infinita tamen non negat, pag 801. autem expresse scribit, quod *vnctio* Christi sit donorum Spiritualium in eum secundum humanam naturam *sine mensura* effusorum collatio Multum operae *in excludendis ab Vnctione Christi donis infinitis* adhibuit *Vir Exc. Petr.* AHLWARDVS in den Gründlichen Betrachtungen über die Augspurgische Confession, vbi p. 868 - 884 argumenta adducit sequentia: *a*) Scripturam ad vnctionem non referre nisi *dona finita*, quod *b*) ex *Jes.* XI. 2. probat *c*) Dona *infinita* Christum hominem jam habere ex vnione personali *d*) Fini *vnctione* Christi obtinendo sufficere dona finita *e*) Dona *Christo* et dona *fidelibus* concessa ejusdem esse generis. *f*) Totam *Deitatis plenitudinem non esse ex vnctione*, sed vnione personali asserit. De singulis breviter dicturi sumus. *Primum* a) Viri Exc. argumentum longe gravissimum foret, si probari vlla ratione posset. Quid enim quantumque in hac quidem re non valeret *Scripturae silentium?* At vero ex *Jo.* III. 34. oppositum jam apparet, expresse enim ibi Spiritus Christo datus dicitur οὐκ ἐκ μέτρου, atque ea verba infinita dona exprimere adeo certum est, vt nec ipse Vir Exc. negare queat *l. c.* p. 183 184. 191. 192. 212. 213. quamvis de Communicatione Idiomatum intelligere velit. Veremur autem ne

sui operetur secundum vtramque naturam, ita vt quaelibet natura agat, quod suum est, cum communicatione alterius: donis illis et ὑπεροχαῖς (num. 3.) effectum est, vt etiam actibus humanae natura, qua talibus, ea perfectio competere possit, quae naturae in hypostasi filii Dei subsistenti conveniens erat. 6) Sicuti autem in Scriptura S. do-

 norum

ne in his ea sit, cujus Theologos Vet. ipse accusat, confusio. Notabimus sequentia. I.) *Dictum* illud *Jo.* III. 34. non potest proxime explicari de communicatione Idiomatum sed intelligi debet de *Vnctione Christi.* Nam 1) vnio personalis hinc communicatio idiomatum nec ad Patrem nec ad Sp. S. referenda est, sed soli Filio Dei competit (solus enim hic cum humana natura personaliter est vnitus) et opus est ad extra personale. 2) Nullibi idiomata divinae Christi naturae olei laetitiae vel Spiritus S. nomine in Scriptura S. veniunt. 3) Nec μετόχοις Christi, quibus vnctio oleo laetitiae pariter competit, vllibi facta esse dicitur aut dici potest divinorum idiomatum communicatio. 4) Spiritus S. et divinae Christi naturae attributa, humanae communicata, non sunt vnum idemque. 5) Nec Pater, nec Sp S. sine vnione hypostatica cum humana natura, neque sua, neque Filii Dei idiomata humanae Christi naturae communicant. Hinc 6) *Cum Jo.* III. 34. expresse dicatur, quod *Pater Christo Spiritum S.* concedat, et loco parallelo *Ps.* XLV. 8. ea Spiritus S. concessio dicatur vnctio, oleo laetitiae facta, et μετόχοις quoque suo modo competens; ea Baptistae verba de Idiomatum divinorum per vnionem personalem Communicatione proxime intelligi nequeunt. Ergo 8) De vnctione Christi intelligi debent II) *Cum itaque* vnctio sit donorum Spiritualium collatio, et teste Baptista ἐκ ἐκ μέτρου facta sit vnctio haec; collationem donorum infinitorum omnino involvit III) *Licet* in dicto Joanneo proxime quidem non sit sermo de Communicatione Idiomatum, minime tamen a Communicatione Idiomatum omni respectu excludi potest Pater et Sp. S. ad quos quippe vnio personalis, pro actu sumta, inchoative, ratione efficientiae, et operationis in operibus ad extra communis, omnino pertinet: sicut nec ab ipsa vnctione *activa* Filius excludi potest propter eandem rationem; salvo vbicunque et modo et ordine in agendo et actionis termino. Quae omnia ex *Theologia Dogm.* nota sunt. IV) *Quodsi* itaque Patris et Sp. S. operationem ad Vnitionem personalem hinc ad Communicationem Idiomatum tanquam illius con-

norum Sp. S. conceſſio *vnctionis* nomine venire ſolet: ita etiam dona Spiritus Chriſto homini conceſſa *Vnctionem* Chriſti conſtituunt. 7) Deſcenſus Spir. Sanct. ſuper Chriſtum Vnctionem Chriſti publice teſtatur, excellentiſſimo quidem et prorſus divino modo. 8) Interim a primo conceptionis humanae Chriſti naturae momento donis Sp. S. jam ornatus fuit Chriſtus *Luc.* I. 35. Vnde etiam in infantia Spiritu corroboratus et ſapientia plenus fuiſſe legitur *Luc.* II. 40. Non itaque cum hoc publico Spiritus S. ſuper Chriſtum deſcenſu vnctio demum coepit, ſed in primo conceptionis Chriſti momento jam facta eſt, hic autem divinitus, quod κατ' ἐξοχὴν vnctus ſit Jeſus, publice ſolemniſſimeque manifeſtatur.

§. 18.

conſequens, per *vnctionem* intelligas, quid, quaeſo, in eo eſt confuſionis? Confuſio in contradicentium potius foret ſententia, qui vnitionem *inchoative* dictam cum vnitione *terminative* ſumta confundunt, hinc vnctionem a communicatione idiomatum non diſtinguunt. V) *Eſt quidem* cum Chriſto homine, per factam vnctionem, Sp. S. vnitus, ſed non perſonaliter. Jam qualis non eſt vnio talis non eſt communicatio. Optime ergo, Chriſto homini a Sp. S. dona infinita collata eſſe, aſſeri poteſt, nec vlla inde vnctionis cum communicatione idiomatum oritur confuſio. Differentia enim eſt in modo agendi: quare Theologi *hanc* potius *communicationem*, illam *dationem* appellare voluerunt. VI) *Nec concludi* poteſt: *In vnione myſtica* Spiritus S. cum *fidelibus* dona tantum *finita* conferuntur.; Ergo etiam in vnione Sp. S. cum humana Chriſti natura. Contrarium enim ex *Io.* III. 34. et ex eo etiam patet, quia in vnione hac Sp. S. cum humana natura, hypoſtaſi *infinita* τῷ λόγῳ ſubſiſtente, vnitur, in illa autem cum fidelibus, hypoſtaſi finita propria ſubſiſtentibus. VII) *Ex dictis* jam pluribus vna ratione intelligitur, quamvis vnctio a communicatione idiomatum diſtingui debeat, *illam* tamen et hinc quoque dictum *Io.* III. 34. optime adduci ad hanc probandam: quod doctrinae cauſa monemus. Sufficiant iſta qua hoc argumentum. Ad reliqua jam non difficilis erit reſponſio. *Locus Jeſ.* XI. 2. ad quem *Vir Exc.* b) *provocat*, neutiquam dona infinita excludit. Locutiones enim ita ſunt comparatae, vt vtique, Spiritum cum infinita ſapientia, cum infinita ſcientia, cum infinita potentia etc. in Chriſto requieſcere, indigitent. Ponamus, ad quod dandum tamen nulla nos cogit neceſſitas, *Timo-*

rem

§. 18.

In consideranda Patris, quae de Filio testatur, voce, neutiquam circa explicationem modi, quo vox haec edita sit, versamur, cum immediate a Deo factam constet, aeris vtique concitato motu, nec quidquam cum vulgata illa Judaeorum בת קל commune habeat 54). Non eodem prorsus modo verba prolata referunt Euangelistae. *Matthaeus* ita habet: Οὗτος ἐστὶν *etc.* *Marcus* autem et *Lucas*: Σὺ εἶ *etc.* Sed, cum fieri vtique potuerit, vt vel bis pronun-

rem Domini donum esse finitum, quid inde sequeretur praeter solum hoc: *Docere hunc locum dona tam* finita, *quam* infinita *Christo collata.* *Ad* c) breviter respondemus: quod vtique quidem habeat dona infinita Christus homo per *vnionem personalem* habeat autem eadem quoque per vnctionem; alio tamen atque alio modo: Per illam eadem habet personaliter; per hanc non personaliter sed per gratiosam inhabitationem, per illam a Filio; per hanc etiam a Patre per Sp. S., per illam terminative; per hanc effective et inchoative, per illam operatione personali, per hanc operatione communi. Patet hinc frustra dici, *quod dona infinita per vnionem personalem jam collata, sine vatione per vnctionem accepta statuantur.* Non enim divellenda sunt tempore vnctio et vnitio personalis. Cum autem *d*) asseritur: *Quod finis vnctionis Christi per dona finita obtineri potuerit*; meminerimus, quod in infinitis mensuratio non sit nostra, nec limitato intellectui conveniat, nec possibile sit, determinare, quid requiratur ad id, quod Deum decet, ad id, vt finibus ipsius sit sufficiens, sed hoc solummodo a posteriori judicandum sit, sumtis iis, quae Deum voluisse revelatum est, sufficientissima adesse. *Ad e*) quod spectat, in eo supponitur, quod demonstratum nec est nec demonstrari potest, nimirum, differentiam donorum, Christo et μετόχοις collatorum, esse tantum *gradualem* non *specificam*. Cfr. quae supra ad *a*) dicta sunt. Psalmus XLV. hic frustra adducitur, cum, qui dona, μετόχοις etiam data, infinito modo recipit, omnino plus quam μέτοχοι recipiat. *Ad f*) quod attinet, verum est, si addatur σωματικῶς, personaliter et terminative: falsum est, si addatur effective et inchoative. Conf. Quensted. Syst. Theol. p. III. p. 83. 100. Confunditur res cum rei modo.

54) Lege de his bene disserentem *Lightfootum* l. c. Velim tamen conferatur etiam Compegius Vitringa Obs. S. Lib. VI. Tom. III. p. 357. ff.

pronunciaverit Pater, *ad Iesum*, vt *Marcus* habet et *Lucas*, *ad Populum*, vt *Matthaeus* recenset, vel vt vnus aut alter Evangelistarum rem potius, quam verba respexerit, parum interesse arbitramur, quodcunque elegeris. Cfr. CHEMNITIVS, RVSSIVS, WOLFIVS *ll cc.* De Jesu autem sermonem esse, res ipsa tota testatur cum 1) nulli alii baptizato similis contigerit quidquam, quod ex ἰδὲ bis posito intelligi potest 2) Ipsi, soli Jesu, non alii, coelos apertos esse, fuerit conspicuum. 3) Spiritus Sanctus super solum Jesum venerit, super eundemque solum manserit. Jesum itaque, testimonio Patris coelestis, intelligimus Filium Patris, secundum divinam quidem naturam, Patri ὁμοούσιον, genitum ab aeterno, vnigenitum, neutiquam adoptatum, sed verum, proprium atque naturalem. Vox autem Patris exhibet propositionem *primam* hanc: *Hic est filius meus.* *Subjectum* in hac propositione est *Iesus Nazarenus*, infantum more carnis et sanguinis particeps factus *Hebr.* II. 14. a Maria matre natus *Luc.* II. 7. parentibus subjectus, Nazarethi commoratus *Luc.* II. 51. *Marc.* I. 9. omnibus partibus hominis essentialibus, integralibus, instructus, quin et infirmitatibus, sine omni tamen peccato *Hebr.* IV. 15., obnoxius, quemque verum hominem noverant omnes *Marc.* IV. 3. *Io.* VII. 37. *Praedicatum* est divinum, et concretum quidem divinae naturae *Filius meus*, *Filius Dei Patris*, *Filius Dei.* Praedicatum autem hoc nude positum, nec vllis ejusmodi determinationibus vel circumstantiis circumdatum, quae *adoptatum* tantum, non *proprie dictum* filium indigitent, Jesum Nazarenum simul non adoptatum, sed Filium Dei omnino proprium atque naturalem dicit. Est enim ἴδιος et vnigenitus Dei Patris Filius, cujus Deus Pater ἴδιος est, Rom. IIX. 32. Jo. I. 14. 18. V. 18. aequalis Patri ἴσος τῷ Θεῷ Jo. V. 18. eandem numero essentiam divinam cum Patre habens communem, ab aeterno sibi per generationem communicatam Ps. II. 7. Ebr. I. 3. Competit quidem praedicatum hoc per se et formaliter divinae naturae, at, de humana tamen natura, in concreto, propter vnionem personalem perichoristicam et syndyasticam, naturarumque communionem intimam, non minus vere, proprie ac realiter praedicatur, *quod ex Theologicis constat.* Filium itaque Dei et verum hominem in vna persona, hinc Θεάνθρωπον, haec propositio Jesum Nazarenum sistit.

§. 19.

§. 19.

Alterum Patris enuntiatum hoc est: Hic est - - meus dilectus, οὗτός ἐστιν - ὁ ἀγαπητός. Dicit Pater Filium suum τὸν ἀγαπητὸν: cujus quidem denominationis ratio, non minus in Patre quam in Filio est. 1) Non potest non Deus semet ipsum amare amore infinito, intensissimo, ac perfectissimo: hinc Pater non potest non amare Filium, secundum divinam naturam sibi ὁμοούσιον, eodem infinito ac perfectissimo amandi actu; per consequens non potest non Filius esse ὁ ἀγαπητὸς τοῦ πατρός. Humana natura Christi in vnione hypostatica est cum divina natura: Ergo non potest non Filium Deus Pater amare etiam secundum humanam naturam amore infinito atque summo. Infiniti hujus amoris effectus admiranda quoque ratione in Christo homine sunt conspicui, cum Pater humanam naturam hypostasi Filii subsistentem excellentissimis Spiritus S. donis ἐκ ἐκ μέτρου ornaverit *Io.* III. 34 eum in finem Spiritum S. miserit, Christo homini dederit *Es.* XLII. 1. cuncta in manus ipsius tradiderit *Io.* V. 20. III. 35. XIII. 3. beneplacitumque divinum fuerit, vt in Christo secundum humanam naturam omnis habitaret plenitudo Deitatis *Col.* II. 9. 2) Filius, propter eandem cum Patre ὁμοούσίαν, secundum divinam naturam, et, propter vnionem carnis cum τῷ λόγῳ hypostaticam, etiam secundum humanam, hinc secundum vtramque naturam, non potest non Patrem amare amore infinito, intensissimo atque perfectissimo. Demonstravit hunc summum suum amorem Filius, cum, tanquam Redemtor, omnem Patris voluntatem, omnem justitiam, obedientia sua activa et passiva, et summo quidem perfectionis gradu, adimplevit *Ps.* XL. 8. 9. Jo. V. 30. VI. 38. XIV. 31. *Phil.* II. 8. *Hebr.* V. 7. 8. 9 VII. 26. Optime haec omnia sibi in baptismo Salvatoris respondent, dum Filius adest omnem justitiam, vt decet, impleturus, et Pater infinitum suum in Filium declarat amorem. Nec supervacaneus et vtilitate respectu nostri destitutus est tantus hic Patris in Filium amor, quin potius gratiosissimi et saluberrimi ex eodem etiam in nos redundent radii atque effectus. In Filio enim nos amat Pater, et per Filium nos sibi reddidit acceptos: vt itaque Filium hunc dilectum, hunc electum, Dei, vnicum divini in nos redundan-

tis amoris cognoscamus principium Eph. I. 3 - 8. cf. Rom, XII. 32. hinc Filius dicitur ὁ ἀγαπητὸς, κατ' ἐξοχὴν, quod optime per articulum ὁ bis positum exprimitur.

§. 20.

Addit *tertio* Deus Pater, quod in hoc Filio suo dilecto sibi sit complacentia: οὗτος ἐστὶν ὁ υἱός - - ἐν ᾧ εὐδόκησα. Ineffabilem prorsus esse hanc Dei Patris in Filio complacentiam, et Patris infinitudo, et Filii infinita dignitas, complacentiae inaestimabilis amplitudo, admirabilesque effectus, abunde docent. Atque haec principia sane longe graviora suppeditant, quam quae ex compositione vocum earumque nativa significatione vllum derivabit ingenium. Placet Patri Filius *Ies.* XLII. 1. et placere sibi homines per Filium constituit *Luc.* II. 14. gloriatur de Filio, gloriamque in Filio manifestavit suam, Filius gloriam illustravit Patris, et Pater Filii gloriam celebrandam jubet *Io.* XVII. 1. 4. 5. 6. *Ph.* II. 10. et non aliam sibi acceptam esse in hominibus gloriam, quam per Filium, decrevit *Io.* V. 23. acquiescentiam in Filio habet summam, omneque de hominum salute beneplacitum in Filio manifestavit *Eph.* I. 5. seqq. Totam itaque nostrae in solo hoc Filio salutis oeconomiam simul ea Patris εὐδοκία involvit, et *Iesum tanquam eum publice constituit, per quem vnice gratiam atque salutem obtinere possumus.*

§. 21.

Illustre hoc Patris de Christo testimonium coelitus factum an antecesserit baptismum Christi, an secutum sit, parum quidem referret disputare, nisi textus ordo posterius ita manifesto doceret, vt *b. Oleario* prius, miranda ingenii fertilitate asserenti, assentiri nequeamus 55). An vero Christus solus, an solus Joannes, an vterque solus, an omnis, qui tum praesens erat, populus, sensibus 56) divinam hanc mani-

55) *Cfr.* adversus hanc sententiam disputantes b. WOLFIVM et b. RVSSIVM ll. cc.

56) Visionem enim propheticam hic locum habere, jam supra negavimus.

manifestationem perceperit, quaestio est majoris et momenti et vtilitatis. LIGHTFOOTVS quidem allatis aliquot rationibus stabilire *voluit*, solum Jesum et Joannem descendentem Spiritum S. vidisse 57). Illi vero rectius sentiunt, qui non minus ab integro tum

 adstante

57) Octo argumenta pro sua sententia adduxit LIGHTFOOTVS. *Primum* desumsit ex *Jo.* I. 26. *Quid vero? Quia* post baptismum Christi populum Joannes de Christo erudivit, ergone populus non vidit non sensit, quid factum sit? *Quaenam* quaeso consequentia? Non enim jam vrgemus, posse istam institutionem aliis individuis esse factam, quo tota argumentatio corruit: Verum illud potius monemus, maxime convenientem Joanni fuisse illam instructionem, adstantibus iis ipsis, qui cuncta senserant, individuis datam. Adest populus, et divinae manifestationis testis est atque spectator, stupet, miratur, docetur a Joanne, quid sibi ista velint. Sic omnia optime cohaerent. Simile habetur Actor. II. 7. 12. 14. vbi videntem stupentemque populum pariter Petrus instruit. Circa *Secundum*, quod ex *Jo.* V. 37. desumsit, argumentum, jam dudum annotarunt nostrates, quod vel non interfuerint baptismo Christi illi, quibuscum Salvatori res erat, vel quod inobedientia atque pervicacia eorum, qua vocem Patris huc vsque non excepissent, a Redemtore culpetur: quod et ipsum Salvatoris additum Jo. V. 38. 42. indigitat. *Tertium* argumentum desumsit ex *Matth.* XVII. 9. Sed, quod inde inferre vult, consequentia caret: nec nostrum est ita argumentari: nec, quae quarto post inchoatum jam publicum Christi officium anno, populus ex falsa, de Messia, terreno Rege, hypothesi tentare poterat, cujusque causa aliquoties ex publica conversatione discesseratChristus, nunc tempore baptismi, in limine officii Christi, erat moliturus. *Quartum* argumentum formavit ex *Jo.* I. 33. vbi ipsemet Baptista, sui causa istam glorificationem factam esse, testetur. De eo vero nec vola nec vestigium est in *loco cit.* *Quintum* argumentum ex *Jo.* I. 7. 31. desumtum, scil. quod praedicatio Joannis fuerit medium, quo de Christo certior reddendus fuerit populus, nil probat, quia non excludi debet baptismus Joannis, quo non minus Redemtor fuit manifestandus. Praedicatio enim Joannis, ejus baptismus, et glorificatio Christi coelitus facta, non sunt, in hac causa, opposita, sed coordinata et certo respectu subordinata. *Sextum*, quod post factam Christi glorificationem opus non fuisset, vt Joannes Christum indigitaret, cum populus illum Christo majorem adhuc *non potuisset* habere, nihil iterum probat.

Quod

adstante populo divinam hanc manifestationem visu atque auditu perceptam esse, statuunt, 1) namque nulla adest necessitas, cur, vel a Christo, vel a Joanne, vel ab vtroque, solo, sensibus ista percepta esse, statuamus. De Christo res est extra pugnam. De Joanne vero, cur, quaeso, necessitas quaedam assumeretur, nisi forte, quia promissum habebat divinum *Io.* I. 33. At vero hoc ipsum potius pro nostra militat sententia. Dum enim revelatio haec divina *Io.* I. 33. Joanni erat suppeditata, et tanquam divina ab ipso firmissima fide suscipiebatur; sane aeque revelari ipsi potuisset omne, quod sensibus post baptismum Christi percepit, aeque firma fiducia, ac si sensibus percepisset, suscipiendum: vt itaque, nisi aliorum gratia haec Christi manifestatio coelitus facta esset, ea opus non fuisset. Sufficienter enim instrui potuit Joannes revelatione immediata de eo, quod Jesus sit Filius Dei, sit is, qui baptizaturus sit Sp. S. atque igne, sit Christus, Salvator mundi. 2) Non opus fuisset, vt baptismus

Quod non *debuisset* habere, conceditur, quod non *potuisset*, hinc vberiori institutione non indiguisset, negatur. *Septimum* argumentum, *quod discipuli Joannis, si glorificationem Christi vidissent, statim secuturi fuissent, cum statim secuti sint Jesum, postquam a Joanne monstratus esset Jo.* I. 39. supponit, quod probandum erat, nimirum: discipulos Joannis *tum* praesentes, et *non edoctos* a Joanne fuisse de tempore, quo Jesum sequi deberent. *Octavo* ita concludit: *quia medium, populum ad Christum perducendi, fuit praedicatio Joannis, Christi, discipulorum; solis Doctoribus immediata concessa est revelatio*, quare *quamdiu Joannes adhuc liber erat, non alios Christus adhibuit testes: eo incarcerato sui statim elegit praedicatores.* R. 1) *In publicatione* legis pariter totus populus vocem Jehovae audivit, singularissimae licet Mosi obtigerint revelationes: et in ipsa Salvatoris manifestatione publica remanet, quod soli Ioanni manifestatum fuit, quodque ipsemet Jo. I. 33. 35. exhibet. 2) *Quod* incarcerato Joanne Christus demum discipulos elegerit praedicatores, historiae sacrae contrariatur. *Cfr.* quae *Jo.* I. 37. ff. leguntur. *Possibilitatem* sententiae suae probare *Lightfootus* conatur *ex* 2 *Reg.* VI. 17. Luc. XXIV. Act. IX. 7. Verum, quod possibile fuerit, Christum et Joannem, non populum, quae facta sunt, sensibus percepisse, concedimus, quod autem hoc sine novo quodam miraculo possibile fuerit negamus. Hujus autem in textu, vt in reliquis locis excitatis, nullum est indicium.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn840951965/phys_0044
DFG

mus Christi fieret in maxima baptismi Joannei celebritate et confluxu populi, cum ea Christi manifestatio remotis omnibus testibus, solo Christo et Joanne praesentibus, fieri potuisset. 3) Cum finem baptismi sui, *manifestationem Redemtoris*, Joannes explicat *Jo.* I. 31. simul addit *manifestationis modum*, *descensum Sp. S. super Christum manentis.* Sicuti ergo manifestatio non respiciebat solum Christum, vel Joannem, ita nec modus manifestationis eos solos pro objecto habere potest. Addi his possunt *quarto* rationes a *b.* RVSSIO *l. c.* adductae, quod publica manifestatio faciat, ad fidem populi excitandam, et minor non debuerit esse Christi, quam Mosis, ad officium inauguratio, in hac autem omnis populus vocem Domini sensibus percipiebat suis. *Exod.* XIX. 16. XX. 18. 5) *Maxime hoc respondet vaticinio Iesaiano. C.* XL. 5. *Omni itaque populo tum praesenti factam esse hanc manifestationem concedendum est.* Consideratis his textus momentis, accedamus jam ad propositionem nostram, ex illis demonstrandam.

SECTIO SECVNDA.

Ipsam propositam thesin demonstrans et vindicans.

§. 22.

Scriptura S. summam esse per lapsum eundemque secutum statum peccaminosum, Gen. III. 1. ff., in universum genus humanum introductam miseriam et infelicitatem, eamque tum ex eo concipiendam, quod omnes omnino homines, naturaliter ab Adamo descendentes P. O. *Gen.* V. 3. IIX. 21 *Ps.* LI. 7. *Rom.* III. 23. V. 12. VII. 14. *Eph.* II. 1. f. et Peccatis actualibus *Ps.* XIV. 3. LIII. 3. *Gal.* V. 19. *Ps.* XIX. 13. infecti sunt, tum ex eo, quod propter haec peccata omnes homines maledictioni legis et promeritis infinitis per justitiam Dei vindicativam infligendis poenis subjacent *Gen.* II. 17. III. 17. etc. VI. 6. *Rom.* V. 12. *Gal.* III. 10. *Ps.* XI. 2. 5. 6. XXI. 9. 10. *Ies.* LXVI. 15. 16. 24. *Rom.* II. 8. 9. 1 *Cor.* XV. 22. abundanter docet 58)

 Deus

58) Veritatem hanc, qui *Deistarum Irreligionariorum* castra sequuntur, ferre nequeunt, quia omnino sentiunt, gravissimum aciei suae

Deus autem pro infinita sua misericordia atque φιλανθρωπία, tantopere in Scriptura S. commendata hominum, peccatis, indeque ortis tot

suae telum destructum esse, si eandem concedant. Antesignanis suis improbitate neutiquam inferiores impudentissime veritatem istam negarunt nostris temporibus *Auctor Schediasmatis*, quod duplici titulo: *La vraye Religion demontrée par l' Ecriture Sainte. Traduite de l' anglois de Gilbert Burnet*, atque *Examen de la Religion dont on cherche l' eclaircissement de bonne foi, attribué a Mr. de St. Evremond*, a. 1745. prodiit, cujusque Auctorem militiae addictum comperimus hominem, *la Serre* nuncupatum, per infinitam tamen Dei misericordiam, ad proximum vitae finem, nefarios agnoscentem et deplorantem errores: *nec non* impiis suis scriptis famigeratissimus *Edelmannus* atque *Auctor Libri s. t.*: Vom Gebrauch der strengen Lehr Art in der Theologie, cui nomen *Gebhardi* esse ferunt. *Iste* enim *Exam. cit.* p. 98. *omnes hominum inclinationes bonas* p. 103. *omnes creaturas respectu Dei bonas esse: in respectu ad Deum nil mali in hominibus esse posse, quia* Deus *cuncta fecerit valde bona, edisserit*, et si quid mali hominibus insit, inde *dicit* esse, quod illabiles eos Deus non creaverit. Deinde *ex regulis creatione stabilitis, per pessimum saltum, physicam omnium actionum humanarum necessitatem infert, nec poenas nec praemia nec religionem esse sibi persuadet*, coet. Sed! a statu creationis et integritatis ad statum lapsus iniquissime concluditur, illabilitas absoluta, quae homini concreandae fuisse dicitur, contradictionem involvit, libertatem hominum negare est experientiae contrariari, praemiorum poenarumque distributionem Deo tribuere nolle, est bonitatis et justitiae infinitae ideam, hinc verum de Deo conceptum, tollere, Religionem autem omnem negare veram de Deo aeque ac de nostra a Deo dependentia ideam destruit, et rationi est e diametro adversum. Vt autem praeter jam adducta appareat, quam manifesto reliquis suis assertis sibimetipsi contradicat Auctor, testes producimus ipsa verba pag. 182. seq. *C' est cet Etre suprême et infini, que nous appellons Dieu, a) c' est lui, qui nous a donné, pour nous conduire, la raison, qui se trouve dans tous les hommes; b) tant que nous la suivrons sans prevention, nous ne pourrons jamais nous tromper.* et pag. 132. seqq. *Il y a des actions eternellement bonnes; et qu' un honnête homme doit pratiquer, comme de reconnoître vn Dieu c) de ne faire aux autres que ce qu'il voudroit qu'il lui fut fait, d' où je conclus, que les autres sont essentiellement mauvaises. d) La preuve certaine a laquelle nous devons reconnoître si vous aimons Dieu, est, de voir si nous sentons vne*

ferme

tot miseriae generibus, obrutorum misertus est, et voluntate ad restituendam miserorum felicitatem determinata ex miseria eosdem eripiendos

ferme et constante resolution, de lui obeir : ainsi nous devons avoir pour guide que la raison que nous vient de lui meme, e) et lorsqu'il a reconnu qu'il parle, elle doit se taire et écouter. f) L' estime interieure que nous avons de Dieu doit consister dans vne connoissance convenable de son être et de ses attributs, g) et nôtre respect exterieur doit paroître en ce que nous fassions toutes choses, qui nous paroissent convenables a son excellence et a nôtre dependance de lui. h) Puis donc, que Dieu est le createur et le maître de toutss choses, nous devons aussi les employer toutes a l' vsage pour lequel il les a faites, et nous en servir pour la fin qu'il s' est proposée en les creant, autant que par la raison, qu'il nous a donnée, nous pouvons connoître son dessein et son but; Il ne faut donc pas en aucun tems abuser de ces choses, ni en faire excez pour alterer nôtre santè, ni troubler nôtre raison, ni nous être en quelque maniére que ce soit vn obstacle a faire nôtre devoir. De même Dieu ayant fait plusieurs choses pour l' vsage et le service de tous les hommes, il n'est pas juste que ces choses soient accumulées, entre les mains des vns avec superfluité, pendant que les autres manquent de ce qui leur est necessaire a la vie. i) L' homme n'est pas fait pour être oisif, il faut qu'il s' occupe à quelque chose, k) et toujours avoir pour but la societé. Dieu ne se propose pas seulement le bonheur des quelques particuliers, mais en general, le bien et la felicité de tous les hommes. Ainsi les hommes doivent se rendre naturellement service, quelque difference qu'il y ait entre eux ; parcequ'il n'y a personne tel grand et elevé qu'il puisse être, à qui il ne puisse arriver à quelque heure, d' avoir besoin du secours et de l'amitié du plus pauvre : l) ainsi on doit s' obliger mutuellement. La fidelité et la sincerité sont tres essentielles à la societé : tous les hommes peuvent tirer de la de très grands avantages, et cela contribue beaucoup à les rendre mutuellement heureux. Ea quamvis infelicissima Rationalismi et Naturalismi principia satis distincte loquantur omnino fallacissima, nunc tamen in eo solo subsistimus, vt Auctoris contrarietates indigitemus. Dabimus experimentum, vtentes ordine, quo suas propositiones Auctor ille produxit. Statuere enim necessario debet, quae sequuntur, per a) *Qui non sequitur rationem sine praejudiciis, peccat*: per b) et g) *Qui non sequitur rationem, providentiae contrariatur, hinc excellentiae divinae, adeoque peccat* : per c. l.) *Qui regulam: quod tibi velis fieri feceris alteri, negligit, peccat, et peccat ideo, quia fini divino* (vid. h.) *contrariatur*; per d) *Qui non amat Deum, eidemque non constanter obsequitur,*

piendos decrevit, mediumque, quo gratiosissimum hunc respectu hominum obtinendum finem existentem redderet, clementissime constituit,

tur, peccat: per e) *Ratio quam primum intelligit Deum loqui cum non silet, non auscultat, peccat homo*: per f) *Qui non habet Deo honorem et interne et externe, peccat*: *nunc in servato Dei honore consistit gloriae div. illustratio.* E *Qui hanc non illustrat, peccat*: per g) *Qui excellentiae div. et dependentiae suae a Deo conformiter non vivit, peccat*: per h) *Qui rebus creatis non vtitur finibus Dei conformiter, hinc qui abutitur pro vel perdenda sanitate vel turbanda ratione vel impediendo officio debito, peccat, et peccat quidem, quia finibus div. per creationem stabilitis adversatur, hinc excellentiae div. actiones non conformat*: per i) *Otium Dei finibus adversum est.* k) *Qui hominibus non praestat officia, peccat et voluntati atque finibus et excellentiae div. contrariatur. Dum deinde* l) *ex his derivat fidelitatis et sinceritatis officia, iis neglectis Deo adversum agi confitetur.* Secundum haec ipsa sua principia, vtut reapse misera et prorsus, insufficientia si voluisset Auctor Examinis, et voluerit quisque illi similis, proprias explorare actiones, non remanebit vllum, ex quo, quod multoties peccaverit, non manifestum ipsi fiet. Verum et actu dari peccatum, *per propria ipsius concessa*, intelligitur. Cum enim, vt *hominum horum genus assolet*, multoties de eo, *quod homines non rationem sed sua praejudicia sequantur, conqueratur*, p. 2. 3. 4. 5. et in omni fere pagina, *eos actu peccare confitetur* (per prop. a.). *Cum erroneos hominum de Deo conceptus accusat*, dari peccatum admittere debet (per prop. b. f.). *Cum, quibus falsi de Deo, ejus excellentia et attributis competunt conceptus, non possint excellentiae Dei actiones conformare*: illos non posse non actu peccare concedere tenetur. *Cum dari homines asserit, qui per excessus et impietatem religioni christianae non credunt, de iisdem autem, quod honesti esse nequeant, contendit, iisque alios, pro mente sua, honestos opponit* p. 131.: numquid non asserit, priores peccare an posteriores? De neutris certe, per hactenus concessa, non potest. *Cum denique plus probitatis iis inesse scribit*, p. 31. 32. *qui religionem revelatam esse falsam sibi persuadent, quam Christianis, quia Confessio et spes veniae faciat criminibus locum*, his ipsis, quamvis frivole et turpiter sentiens, quid, quaeso, dicit, nisi *dari peccata, dari crimina*, loco quamvis minus debito quaesita? *Dum* porro a) *De obligatione loquitur, loquitur de rationis vsu*, per a. b. c. d. ff. per rationem autem libertas stabilitur, et sine ea obligatio nulla: physicam, quam stabiliverat, necessitatem evertit. b) *Cum justitiam* divinam statuit, humanamque quamvis nullo sensu,

ejus

ſtituit, illuſtrationi quidem gloriae ſuae infinitae maxime conveniens. *Luc.* I. 71 - 75. *Io.* III. 16. *Gal.* III. 13. 14. *Tit.* II. 11. - 14. III. 4. ſeqq.

ejus emanationem eſſe aſſerit, p. 113. juſtitia autem div. in retributione conſpicua eſt, eo ipſo, *non dari praemia*, et poenas, quod dixerat, *negare* debet. *Dum* c. *impietatem*, actiones perfectionibus div. non conformatas, neglectum honoris et interni et externi Deo debiti, dari, negare nequit, in eo vero illuſtrationem gloriae div. negligi dicendum eſt; ad illuſtrationem gloriae div. obligationem dari concedere debet, quod negaverat p. 101. 102. Ita ergo quaquaverſum quoad peccatorum *actualium* negationem, *in manifeſtiſſimis contradictionibus haerentem* deprehendimus αὐτοκατάκριτον. Peccato O. ſemet opponens non paucioribus immiſcetur contradictionibus. Contendit a) *non punire Deum infantes propter parentum peccata, dicente ipſa Scriptura S.*, vid. p. 90. Verum 1) *Haec, ſimpliciter* dicta, falſa ſunt, cum vtique, parentum peccata quoque juſte puniri in filiis, eadem doceat Script. S. *Exod.* XX. 5. *Matth.* XXIII. 35. *Jud.* v. 11. 2) *Confundit* in his filios veſtigiis parentum inſiſtentes, de quibus ll. cc. ſermo eſt, cum iis, qui easdem non premunt ſemitas, de quibus vid. *Heſ.* XIIX. 14. ſſ.: confundit imputationem peccati Protoplaſtorum Rom. V. 12. cum peccato orig. *Rom.* III. 23. *Pſ.* LI. 7. b) *Infantibus nondum natis non poſſe ineſſe culpam, quia nondum habeant legem* p. 91. In hoc autem *confunditur* peccatum orig. cum actuali *et* in actuali, voluntarium cum involuntario, *confunditur* lex Capiti Repraeſentativo data, *cum quacunque alia* individuis ſigillatim praeſcripta. c) *Ex doloribus non poſſe concludi, quod ſint poena mali moralis praeſentis*, 1) *quia ſic deberent eſſe aequales, quod ſit falſum, cum naſcantur alii coeci, alii gibboſi, alii muti, malaque corporis ſint diverſiſſima, et concupiſcentiae atque ignorantiae ſint diverſiſſimi gradus* 2) *quia ſic ſequeretur voluptatem eſſe praemium, quod tamen negetur* 3) *quia dolor non ſit niſi admonitio, quam auctor naturae ſuppeditet ad evitandum malum* p. 92. 93 ſſ. In his autem 1) Manifeſto confunduntur formalia poenae cum determinationibus individualibus: 2) Confunditur praemium ex merito cum praemio gratiae. 3) Miſcetur malum poenae, prout lege expreſſum cum malo poenae, per ipſam legis executionem, in peccante, jam ſenſu percepto: illud, non hoc, quousque ad actum praeteritum refertur, eſt admonitio, ad evitandum malum, ante data, quam illud committeretur

§. 23.

Qvia omnis, cui homines subjacent, infelicitas ex lapsu est indeque orto peccaminoso statu, *Rom.* V. 12. VI. 23. *Ies.* LIX. 2. *Hos.* XIII.

tur : malum itaque culpae jam praestitum etiam confunditur cum malo futuro evitando. d) *mortem non esse poenam peccati* 1) *quia Deus sic reformasset naturam, eam imperfectiorem reddendo.* 2) *quia mors sit necessaria ordine naturae, cum, ni mors poneretur, hominum multitudinem terra capere non posset, nec* 3) *ab essentia humani corporis mortalitas separari possit* p. 95. In his vero 1) Confunduntur effectus potentiae creativae cum effectibus justitiae punitivae 2) Regimini divino limites ponuntur, quasi nisi per mortem hominibus potuisset facere locum, cujus oppositum tamen vid. *Gen.* V. 24. 2 *Reg.* II. 11. 3) Immortalitas absoluta atque simpliciter dicta cum relativa et secundum quid dicta miscetur. *Tandem* e) *inclinationem ad malum, quam a Protoplastis derivamus, non posse esse a Deo, non a nobis ipsis, non ab aliis creaturis* p. 97. Quamvis autem prius facile detur ; in secundo tamen confunditur participatio physica *Rom.* V. 14. cum morali circa actum capitis repraesentativi, *Rom.* V. 12. Confunduntur in rationibus huic secundo membro additis, *quod sc. non possimus nos creare nec mutare inclinationes nostras*, facultates essentiales cum accidentalibus ; in tertio autem eadem est, quam modo diximus, confusio : cumque in rationibus additis *simul conceditur, creaturas nos posse aliter aliterque determinare*, simul adest contradictio. In reliquis denique, quae addit p. 98. 99 100. recurrit libertatis negatio, status creationis cum mutationibus secutis, et essentialium cum accidentalibus confusio, quia ex canone, quod essentiae rerum sint immutabiles, concluditur, *Ita ergo comparata sunt illa, vt nihil sibi constantis, nihil veri, contineant.* Quae fama pessima vulgatissimus *Edelmannus* habet, in dem Glaubens-Bekäntnis *pag.* 152. ff. *ad tria* redeunt momenta, quibus *peccatorum actualium existentiam* negare allaborat 1) *Quia peccatum sit laesio Dei, Deus autem laedi nequeat* 2) *Quia Deus non dederit legem.* 3) *Quia homo non possit odisse bonum adeoque nec Deum.* Quantum *autem ad* 1) *spectat*, a) *inepte supponit* laesionis *physicae* ideam, de qua tamen hic neutiquam, sed solummodo de morali, quaestio est, quae in neglectu s. violatione officiorum Deo debitorum consistit. Quod vero officia ab hominibus Deo debeantur, hoc admittere tenetur, *dum Deum Creatorem et Dominum universi* pag. 224 seqq. *profitetur* (quamvis etiam has veritates mirum

XIII. 9. neceſſum fuit, vt medium, quo reſtituerentur homines, maledictionem legis tolleret *Gal.* III. 13. lapſus peccatorumque deſtrueret reatum et conſectaria *Hoſ.* XIII. 14. *Mich.* VII. 18-20. et

 felici-

rum in modum et ita detorqueat, vt vere praeter ſola verba nihil relinquat), hinc, ſubjectos, Deo, tanquam Domino ſuo, officia cuncta, ex ſubjectione et dependentia a Deo oriunda, debere *Ier.* V. 21. 22. X. 6. ſ. *Mal.* I. 6. concedere debet. b) *Cum homines hominibus laeſiones inferre poſſe fatetur, Deumque praeterea in omnibus hominibus licet inſulſiſſime ponat*, p. 135. cum hominibus laeſio infertur, Deum laedi, pro ipſa ſua, licet fatua et Pantheiſtica, ſententia ſtatuat oportet. c) *Dum Magiſtratibus potentiam jubendi a Deo datam largitur*, p. 76. 153. ſſ. voluntati divinae conformem eſſe obedientiam Magiſtratui praeſtitam, adeoque voluntati divinae contrariari, qui debitum negligit obſequium *Rom.* XIII. 1-4. nequit negare: quamvis in his rectam obedientiae, Magiſtratibus debitae, rationem, ex ejus origine a Deo tanquam ſummo Domino et Legislatore, atque ex conſcientia, derivandam l. c. et v. 5. negligat, et re inverſa Deo dicat propter Magiſtratus obedientiam praeſtandam eſſe, timoremque ſolum humanum contra *Ieſ.* XXIX. 13. *Matth.* X. 28. doceat. d) *Dum inepte nobis objicit, quod Deum hominum more concipiamus*, hoc ipſius obmotum ipſum potius ferit. Deum enim, quem phyſice laedi non poſſe conſtat, indifferentem eſſe ſumit, more hominis, qui nec vllo peccato, quo invicem ſe homines laedunt (illud enim admittit), tangatur: quod Deo repugnat *Pſ.* V. 5-7. *Ier.* V. 9. 29 *Pſ.* L. 16. 22. *Quod ad* 2) *ſpectat*; illi ita reſpondit, vt quidquam addere non neceſſarium ſit, *S. R.* WAGNERVS *l. c. P.* II. *p.* 166. 255. ſſ. Addamus tamen et haec a) *Cum Creatorem adhucdum profitetur Deum*, adeoque auctorem naturae (licet turpiter adulteraverit eam veritatem): a natura autem legem, et a natura rationali legem naturae moralem, ſeparare, vtique contradictorium eſt, *Rom.* II. 14. ſſ.; Deum hominibus legem dediſſe concedat oportet. b) *Deum porro univerſi*, hinc creaturarum rationalium, conſequenter hominum, *Dominum admittit*; homines ergo voluntati Domini parere debere confiteri debet, quodque Deus hominibus voluntatem ſuam, cui obſequi debent, cognitam fecerit, adeoque legem dederit, ab ipſo eſt concedendum. c) *Quamvis autem pro Spinoſiſmo, quem Empaeſta vbique prodit, mundum aeternum ſtatuat, et dominium Dei, quem non niſi in creaturis exiſtere ſomniavit, deliriis ſuis prorſus deformet*; legem tamen inficiari nequit, quamvis

felicitatem amissam iterum acquireret *Tit.* II. 14. Cum autem attributorum divinorum summus sit consensus, non contra justitiam suam homines e miseria eripiendos et salvandos constituere potuit Deus misericors, quin potius justitiae divinae tam legislatoriae quam vindicativae faciendum

vis pro insulsis nugamentis suis, et hominibus, *et* Deo ipsi *in hominibus*, datam forte dixerit, quo tamen posteriori assumto in novas omnino incidit insanias. d) *Legem moralem naturalem per naturam hominis concipi, tanquam ab omnibus observandam*, nemo nisi vel legis vel sui ignarus negare potest, eandem itaque ab Auctore naturae originem habere, hinc divinam esse, nemo nisi malitiose stupidus inficiabitur e) *Quia tandem rationem homini ducem mille locis praescribit*, eo ipso regulam naturae moralium actionum directricem statuit, et cum Deum auctorem rationis admittit, datam hominibus omnibus a Deo legem, secundum propria principia, confiteri debet. *Quod ad* 3) *attinet*, eidem omnino satisfecit *R. Dn. M. Jo. Georg.* PFOTENHAVER in der vollständigen Wiederlegung des Edelmannischen Glaubens-Bekäntnisses: P. II. § 310. ff. quibus panca haec addamus a) Propositio, *quod homo non possit odisse bonum* falsa est, nec ad ipsum statum integritatis, si impossibilitas absoluta intelligatur, applicari quidem potest. b) Verum est, *quod* homo non possit odisse bonum *sub ratione boni*, quod autem bonum, *quousque vt tale repraesentat*, odio habeat, nemo vnquam asseruit: licet verissimum sit, hominem odisse bonum, *quod* bonum verum esse satis novit *Exod.* XX. 5. *Ps.* L. 17. LXXXI. 16. *Mich.* III. 2. c) Potest bonum per confusam et erroneam repraesentationem homo pro malo habere et hinc odisse bonum sub rationi mali. d) Potest bonum apparens cum vero confundere et hoc neglecto appetere illud. e) Quod vtrumque actu saepissime fiat, negare nequit *Edelmannus*, qui *toties quoties homines accusat, quod imaginationis foetum pro dictamine rationis arripiant.* Cfr. *Ejusdem* Begierde nach der vernünftigen lautern-Milch §. 232. *al.* Quae reliqua habet, illa vel ad ea, quae in *Auctore Examinis* improbavimus, vel ad ea, quae mox ad alios tenebricosi hominis fatua asserta dicturi sumus, redeunt. Quae de *Pecc.* O. passim in Scripto: von der Göttlichkeit der Vernunft adduxit, ad ea *partim* accedunt, quae in *Auctore Examinis* taxavimus, *partim* malam causam abunde fatentur, dum, vt in Scripto: die Begierde nach der ꝛc., adversus P. O. disputaturus, spuriam, multoties, et in ipsis quoque LL. nostris SS. refutatam *Flatiano-*

satisfaciendum fuerit. Per consequens Lex, ab hominibus violata, non implenda tantum fuit, *Ies.* I. 27. 28. sed poenae etiam, hominibus infligendae, sustinendae fuerunt, *Ies.* LXIII. 3. 4. Vtrumqve egregie exprimitur *Ies.* LIX. 16. 17. Deus itaque summe misericors, hominibus liberandis medium constituturus, non potuit aliud, quam quo vtrumque obtineretur, non potuit aliud, quam Satisfactorem, generi humano constituere 63), *Gal.* IV. 4. 1 *Pet.* II. 24. *Hebr.* II. 14. *s.* V. 7-9. *Phil.* II. 8.

tianorum hypothesin, tanquam *veram de P. O. sententiam* suis disputationibus, si modo ita vocanda sint nugamenta, supponit. Nec ipsam de P. O. sententiam directe aggreditur, sed ad propositiones aliquas Flatianis objectas, et pag. 833. der U. N. a. 1710. recensitas, provocat, nec tamen mendacia dicere neglexit, cum neutiquam ibi habeatur propositio: *quod Ratio sit P. O.* tanquam Flatianis tributa, sed haec potius: quod *Substantia viva et rationalis sit P. O.* Quae autem l. c. pag. 188. habet, nec responsionem merentur, nec a contradictione liberari possunt, dum Regenerationis ideam, licet stolidissime corruptam, juxta assumit. Tandem, qui Deistarum partes, egit *Auctor Schediasmatis* vom Gebrauch der strengen Lehr-Art in der Theologie, dari peccatum, non quidem ausus est inficiari, suae tamen sortis hominum nugis suppetias ferre conatus est asserendo § 9. *Deum iis, quae pro viribus nostris praestare, possumus contentum esse debere.* Fallitur autem in eo manifesto, cum non de viribus concreatis, sed, vt lapsu corruptis, quaestio sit, praetereaque a) Peccandi licentia sic prosus illimitata introducitur, quia, quomodocunque peccaveris, contractaque ad peccandum proclivitate vires corruperis, *poenae locus non est*, sed Deus plura, quam nunc possis, efflagitare nequit. Quae vero vt attributis Dei contrariantur, ita absurdissima sunt, quia impossibile est, vt, transgressione legis, Legislatoris evertatur jus, et obligati, obligationem autem violantis, obligatio. Cfr. Heseck. XX. tot. b) *Sub ista falsa hypothesi* in ipsa imperfectissima hominis constitutione perfectio quaeritur insulsissime: in quo quidem quamvis reliquis Naturalistis simillimus evadat Auctor, eam tamen imaginariae perfectionis falsam persuasionem principiis repugnare, et statum creationis cum statu corruptionis confundi, ipsa hominum illorum asserta evincunt. *Vanissima itaque cuncta sunt, quae doctrinae de peccato opponuntur.*

59) Sicut insulsissime statuunt Deistae, *quod peccata nullam habeant ad Deum relationem*, eo scil. fine, vt, quicquid de justitia divina vel poenam

§. 24.

Quemadmodum satisfactio hominum loco praestanda Satisfactorem postulabat hominem 1 Tim. II. 5.; ita eadem Deo divinaeque justitia infinitae praestanda Satisfactorem requirebat verum Deum. *Ps.* XLIX. 8. 16. Satisfactorem itaque non verum tantum hominem, sed simul verum etiam Deum esse, Satisfactio postulabat. *Gen.* III. 15. IV. 1. *Ies.* IX. 6. 7. 1 *Tim.* II. 5. Quod cum sine vnione personali, qua humanam naturam in suam assumeret hypostasin personа Deitatis, eaque ratione Redemtorem sisteret θεάνθρωπον, locum habere nequeat; vnicum, quo ex miseria eriperentur homines lapsi, medium Satisfactor erat θεάνθρωπος. Quemadmodum

poenam constituente, vel Satisfactorem postulante, et hujus benignissima concessione, Religio Christiana docet, impie vel negare vel ludibrio habere possint: ita, quae his doctrinis immediate et directe opponunt, non minus inepte dicta sunt. Ad tria haec maxime redeunt, vt vel a) *Peccata hominum pauciſſimis determinationibus constantia* non posse infinitam promereri poenam, vel b) *Posse Deum condonare* peccata *sine* satisfactione, vel c) *Non dari peccata*, hinc nec Satisfact., nec cum Deo reconciliationem, dicant. Quemadmodum autem hoc tertium cadit propter destructum hactenus falsum principium; ita quantum ad a) attinet, in eo refutando otium nobis fecit labor Dni Praesidis in Disp. quam in Controv. de Satisfactione pro *Imp. fin.* defendit Dn. *Zachow* §. 13. Quoad b); *Iustitia* divina non potest non proportionem servare in retributione, consequenter peccata infiniti demeriti poena infinita prosequi nisi ponatur Satisfactio, adeoque non potest remittere sine Satisfactione. *Edelmannus* quidem in libro: Begierde nach ꝛc. doctrinam: *quod Deus satisfactionem postulare debuerit, si quidem remittenda fuerint peccata*, contrariari putat assertis, *quod Deus gratis remittat vel condonet peccata.* Verum cum gratis nobis condonare peccata Deus dicitur, neutiquam Satisfactio, sed meritum nostrum, excluditur, nec minus meritum nostrum excluditur, dum Satisfactio aliena ponitur. Idem itaque, quod in vno, etiam in altero negatur: adeoque nullibi ejusdem affirmatio et negatio simultanea, nullibi contradictio, habetur. Inde Paulus, qui gratis salvari nos dicit, in Christo salvatos nos docet *Rom.* III. 24. 28. *Eph.* II. 4. seqq. quia vnum non modo alterum non tollit, sed adeo arcte

dum autem liberatio hominum, medium, quo illa perficeretur, Satisfactor humano generi constituendus, ex solo sapientissimo et gratiosissimo Dei beneplacito est *Luc.* I. 78. *Io.* III. 16. *Eph.* I. 5. 9. *Col.* I. 19. 20., ita ex sola Dei revelata nobis voluntate tam, quae, ex Scriptura S. hausta, breviter jam attigimus, quam reliqua cuncta de Redemtore tenenda, adeoque, cuinam ex personis divinis humana natura in suam hypostasin assumenda fuerit, discere debemus 64): eamque

cte etiam haec copulata sunt vt vnum sine, altero stare nequeat. In eandem quoque sententiam cum Edelmanno tendit *Auctor A-X, cum §. 9. nobis, qui*, dum homines justitiae divinae satisfacere non possunt, *Redemtoris et Satisfactionis necessitatem docemus*, infinitum Dei *amorem atque bonitatem opponit*, nec coecus intelligit, *sola Redemtoris justitiae divinae praestita satisfactione bonitatis et amoris divini exercitio locum fieri*, quamque sibi finxerat, contradictionem, *tolli. Auctor Examinis p. 25. vindictam passionem esse putat*, quae non conveniat Deo, atque contradictorium esse, *Deum dare praecepta, quae sine ipsius gratia implere nequeamus, et tamen punire eos, qui non impleant.* Vtriusque autem asserti ne tentavit quidem probationem. Fallacia inest voci Vindictae (Vangeance) quae notat *vel* affectum proprie dictum et vindictam, hominum privatam, *vel* voluntatem malo adversam et justitiam Dei punitivam. Posteriori non priori sensu Deo eadem competit *Deut.* XXXII. 35. *Ps.* XCIV. 1. *Jer.* V. 9. 29. L. 28. LI. 56. *Nah.* I. 2. In reliquis vero tum erit *contradictio*, cum demonstrari possit, *Deum omnibus gratiam offerre nolle*, aut *primum hominem non creasse viribus officio explendo sufficientibus.* Quorum autem cum neutrum verum sit, et prius per *Jes.* XLV. 22. LXV. 2. *Actor.* XVII. 30. 31. 1 *Tim.* II. 4. 2 *Petr.* III. 9. posterius per *Gen.* I. 26. 27. *Col.* III. 10. *Eph.* IV. 24. optime refutetur; omnis cadit objectio.

60) Ex iis, quae adduximus, necessitas revelationis est manifestissima. Non intelligit homo naturalis omnem miseriae suae intensionem, non inquirit, nec, pro statu in quo est, inquirere potest in medium reconciliationis cum Deo, non potest illud invenire, ignorat modum idem constituendi, nescit Trinitatem, nescit vnionem personalem Filii Dei cum humana natura, nescit fidem, nescit ad eam perveniendi modum et media. Cum tamen illius particeps fieri debet, si quidem per eam salvandus est. *Actor.* IV. 12 *Ebr.* XI. 6. vt omnia ea revelarentur, necessarium vtique fuit, necessitate scil. hypothetica, morali, et ea, quae cum gratiosissimo

eamque secundam esse Deitatis personam, Vnigenitum Patris Filiotissimo Dei beneplacito consistit, ab hoc enim sola ea cuncta pendent. Quemadmodum autem Bibliomastiges nostri Deistae revelationis et necessitatem et veritatem impugnant, ita summis mysteriis se quamvis vanissime opponunt. Habet itaque, quae contra veritatem de Trinitate, et Filio Dei incarnato, effutiat, Auctor Examinis. Quae priori opposuit, *suo loco* videbimus. Hic, quae alteri veritati objecit, remoturi sumus. a) *Filius Dei cum pro peccatis hominum Patri satisfecerit*, et mediator inter Deum et homines sit, *contrariam inde concludit in vtroque esse voluntatem, hinc diversam essentiam.* R. Pater Filium ad redemtionem misit, *Io.* III. 16. f. hinc mediationem et reconciliationem voluit, 2 *Cor.* V. 19. voluntas itaque non est diversa sed eadem. Filius voluit incarnari Luc. I. 35. Pater voluit vt incarneturRom. IIX. 3. Filius voluit legem implere, *Ps.* XL. 8. f. *Hebr.* X. 5. f. Pater voluit, vt eam impleret *Gal.* IV. 4. Filius voluit poenas peccatorum sustinere, *Ies.* L. 6. voluit, vt sustineret, Pater *Ies.* LIII. 4. *Io.* XIV. 31. voluit Filius, vt ipsius meritum propter fidem hominibus imputetur, *Rom.* III. 24. vult idem Pater, *Actor.* XXVI. 18. et sic in coeteris. *Vbinam vlla vel contrarietatis species?* b) *Pater fuit iratus, non Filius*, iram quippe Patris mitigaturus: *En contradictio!* Sed Resp. Generi humano *lapso* iratus est Pater, Filius et Spiritus S. Gen. III. 16. *f. Io.* III. 36. *Ps.* XLV. 8. *Io.* XVI. 8. Reconciliationem ejusque medium vult Pater, Filius et Spiritus *S.* 2 *Cor.* V. 19. *Ies.* XLIIX. 16. Propter reconciliationem gratiam et fidem hominibus offert Pater, Filius et Spiritus S. *Act.* XVII. 30. 31. XXVI. 18. 1 *Cor.* XII. 3. Meritum Christi fide acceptantibus non iratus est Pater, nec Filius, nec Spiritus S *Io.* XIV. 23. *Rom.* IIX. 11. *Omnia sibi optime consentiunt, nec vllibi vel apparens est contradictio.* c) Deus *mortem Filii, hinc peccatum Judaeorum Christum cruci affigentium, ordinavit!* R. Pater mortem Filii in nostram reconciliationem approbavit, neutiquam peccatum Judaeorum Christum cruci affigentium, licet hoc vtique sapientissime permiserit; ita vnum ab altero distinguit ipse Coetus Sanctorum *Actor.* IV. 28. Confunditur itaque res cum rei modo, confunditur passio Redemtoris in se spectata cum peccato hominum circa eandem commisso. Cfr. QVENSTEDIVS *Syst. Theol. Part.* III. *p.* 26. *quique ab ipso excitati sunt*, et STARCKIVS *l. c. ad h. l.* d) *Mediatio omnis infirmitatem partium supponit.* R. Principium est falsissimum, nec in mediatione inter entia finita semper verum: cum itaque vllo verbo non probatum sit, refutationem non meretur. e) *Reconciliavit nos cum Deo Filius: Filius*

Filium, docemur *Psalm* II. 7. *Io.* I. 14. seqq.

§. 25.

Constitutum sic generis humani Redemtorem ad satisfaciendum pro vniverso genere humano, et omnia singulaque omnium et singulorum hominum peccata expianda, sufficientissimum, propter infinitam infinitae personae dignitatem, evincit Vnio personalis, arctissima naturarum in Christo communio, hinc idiomatum divinorum communicatio, atque Spiritus Sancti Vnctio, qua non modo

G finitis

lius autem ipse est Deus: E. sequitur, quod cum semet ipso nos reconciliaverit. R. Concedendo totum argumentum 2 *Cor.* V. 19. *Auctor* ille *alter, qui sub literis A - X. latet*, si oppositionem supra (n. 59) adductam ita intellectam vult, *vt satisfactione non opus sit, nec per justitiam divinam ea requiratur*, hinc doctrinam praesentem neget; jam per superiora refutatus est. Si autem specialiter *bonitatis divinae specimen in eo quaerit, quod etiam pro nostro, qui nunc per naturam est, statu Deus plura a nobis non exigat, quam praestare queamus*; pessima foret applicatio, cum potius infinitae bonitatis divinae specimen sit, quod, quae carni impossibilia fuerunt, per Filium, in carnem missum, praestari voluerit. Rom. IIX. 3. Cum autem ipse ille Auctor §. 10. Deum corpus assumere posse, pro impossibili declarat, et ita loquitur, vt de humanae Christi naturae in hypostasin Filii Dei assumtione etiam intelligi velit; rationes, quibus, quod Deus corpus assumere nequeat, probare intendit nihil probant, nisi solum hoc, quod ad determinationes Dei internas et essentiales *corpus* referri nequeat, id quod facile conceditur. Fumum itaque vendit, et cum veritati contradicere voluit, eandem omnino non attingit. Naturae enim duae in Redemtore stante vnione personali sunt et manent distinctae. *Edelmannus* ex iisdem rationibus, quibus peccatum negaverat, Redemtionem etiam et Satisfactionem negat. Quas cum in anteced. refutaverimus; ipsa simul ejus audacissima Redemtionis et Satisfactionis negatio corruit. Praeterea autem cum assumtione humanae naturae in hypostasin Filii Dei falsum, blasphemum et impium jungit conceptum, eum, qui nemini mortalium vnquam in mentem venire debebat, quemque deinde ineptissimis consequentiis maxime horrendum reddit. Cuncta itaque, cum ad solum illum turpissime ab ipso assumtum conceptum quadrent, nulla digna sunt responsione. Refutavit tamen in hac improbitate versantem, ex instituto *S. B.* WAGNERVS *l. c. Part.* II. p. 526. s.

finitis excellentissimis donis, et tantis, vt omnes angelorum perfectiones longissime superent, sed et infinitis et divinis perfectionibus Christus secundum humanam quoque naturam exornatus et ad officium totum explendum instructus est, *Ps.* XLV. 8. *Es.* LXI. 1. XI. 2. *Actor.* X. 38. vnde *Christi* et *Messiae* nomen Satisfactori tributum est. *Luc.* II. 11. 26.

§. 26.

Cum omnibus hominibus Deus Messiam constituerit Satisfactorem et Salvatorem fide apprehendendum, *Ies.* XLV. 22. XLIX. 6. 1 *Tim.* IV. 10.; omnibus etiam hominibus revelatione divina eundem Messiam indigitavit, *iis descriptum characteribus, qui pro excitanda in hominibus in Redemtorem fide, quovis temporis momento, sufficerent, quibusque, cum manifestaretur, sine omni oppositi formidine dignosci posset.* Hinc, vt jam ante hi characteres divinitus revelati sint, quam Messias manifestaretur, necesse est. Alia autem, praeter Script. S., et, ante Messiae adventum, alia, praeter V. T. scripta, non habetur revelatio divina literis expressa, quinimo ne datur quidem vllum scriptum, in quo quidquam de Satisfactore, Messia, scriptum legatur, quod ex his ipsis S. Literis haustum non sit 61); *vt itaque, in V. T. veri Messiae characteres descriptos haberi, atque, illum solum, cui illi characteres conveniunt, esse verum Messiam, illis, qui in V. T. revelati sunt, characteribus dignoscendum*, manifestissime sequatur: licet ideo non repugnet, sed maxime conveniens sit, *illud ipsum individuum, cui characteres in V. T. descripti conveniunt, novis et singularibus indiciis, convenientibus tamen cum illis, quos V. T. exhibet, divina revelatione indigitatis, manifestari.*

§. 27.

61) Quae enim Sibyllina scripta adducuntur, ea Scripturae aetatem non attingunt, praetereaque ex S. Literis desumta esse, ex ipsis rebus et loquendi modis nimis clare intelligitur, vt, quemquam ad illa supposita Scripta provocare posse, mirum videatur, postquam de illis b. FABRICIVS in Bibliotheca graeca Vol. I. Lib. I. Cap. XXXIII. sanum, reique maxime conveniens, judicium tulit.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn840951965/phys_0058
DFG

§. 27.

Quodsi ergo in baptismo suo Jesus Nazarenus demonstratus est verus Messias, *iis characteribus, qui in V. T. habentur, manifestatus est*: et si vel maxime noua revelatio hoc individuum, Jesum Nazarenum, designaverit, quod factum hic omnino esse ex *Io.* I. 33. discimus; ea tamen revelatio characteribus ex V. T. desumtis conformis vtique fuit: et v. v. *Si in baptismo Iesu Nazareni manifestatum sit, ipsi convenire eos characteres, quibus in V. T. futurus Messias descriptus est; demonstratum sine dubio est, quod volumus.*

§. 28.

Ex iis itaque, quae attulimus, apparet, versandum nobis esse 1) in evolvendis ex V. T. Messiae characteribus iisdemque 2) ad Jesum Nazarenum applicandis, non neglecto 3) adversarios refutandi proposito nostro. Sed cum Dissertatio conscribenda sit, non volumen, cuncta nobis liceat hac ipsa Sectione complecti. Nec animus est, omnes et singulos Messiae characteres enumerare, et ad Jesum Nazarenum applicare, sed eos tantum, quibus adhibendis Textus noster occasionem praebet, quique ad convictionem, hinc ad obturandum os adversariorum, certe pro fine nostro, sufficiunt, quibusque positis reliqui facillime applicabuntur. Secuturi itaque sumus ordinem Textus nostri, et singulis, quae ex eodem de Jesu Nazareno, Sectione praec., evolvimus, quaeque formandorum argumentorum constituent minores, adjuncturi sumus, ea, quam indicavimus, methodo, propositiones majores, ex quibus deinde conclusiones facillime deduci poterunt. In subjiciendis notis, vbi locus fuerit, exegesin vindicabimus nostram, et, debito loco, Deistarum quoque impietatem refutabimus, qui hodie religionem omnem respuentes Irreligionarios semet praestant. 62)

62) Magnam sane vtilitatem praestabit heic comparatio eorum, quae de *Deistis Irreligionariis* solidissime disseruit *Doctissimus atque Celeberrimus hujus Almae Theologus Vir Summe Reverendus Dn. Joan. Christian.* BVRGMANN. S. S. Theol. D. et P. P. O. Fac. Theol. et R. Ministerii Senior hujusque Director longe Meritissimus

§. 29.

Ante autem quam ad ipsum nos accingamus laborem, praemittamus V. T. locos, in quibus MESSIAE nomen adhibitum deprehenditur, eo sensu, vt de *futuro tum Redemtore* intelligi debeat. *Messiae* nomen, longo jam ante Christum natum tempore, V. T. fidelibus innotuisse, inde non immerito concluditur, quia jam *temporibus* ELI expressam ejus deprehendimus mentionem 1 *Sam.* II. 10. quae frustranea sane fuisset, nisi *iis jam temporibus* dogma fuisset pervulgatum: *Vngendum esse Satisfactorem et Redemtorem generis humani* (quod distinctissime deinde ex inspiratione divina descripsit *Iesaias Cap.* LXI. 1.) indeque κατ' ἐξοχὴν vocandum esse VNCTVM, MESSIAM, CHRISTVM. Post haec quidem tempora saepius occurrit et *Messiae* et *Vnctionis*, ad eundem applicatae, mentio. Adhibita eadem est a *Samuele*, cum revelationem sibi factam Sacerdoti ELI nuntiaret 1 *Sam.* II. 35. Vtitur eadem *David*, dum, quam de Messia divinitus obtinuerat promissionem, certitudinemque fidei, qua illam exceperat, Cantico suo illustrat 2 *Sam.* XXIII. 1. Vtitur eadem, dum Messiam, tamquam vnigenitum Dei Filium, et vnicum omnis salutis fontem, contra quem Principes mundi frustra insurgant, describit *Ps.* II. 3. Vnctum exhibent *Korahitae Ps.* XLV. 8. illustrissime pingentes Θεάνθρωπον vnctum, pariterque *iidem Ps.* LXXXIV. 10. Regnum Messiae canentes et puritatem cultus divini, ipso Deo duce, exhibendi. Sistit eundem praecentor *Ethan Esrahita Ps.* LXXXIX. 21. 39. 48. 51. 52. Collaudat Messiae expresse nuncupati regnum auctor *Psalmi graduum Ps.* CXXXII. 10. 17. 18. Extollit eundem tanquam vnicum verae beatitudinis Auctorem, cujus si facies averratur, caetera caduca sint, Rex Salomo, in precibus ad inaugurationem templi sui fusis 2 *Paral.* VI. 42. tandemque singularissime Messiam describit Propheta *Daniel Cap.* IX. 24-27. 63). Haec quidem loca jam

tissimus in *Diatribe dupl. altera Historico-Theologica de Deismo generatim spectato* A. 1754. *altera Theologico-Polemica de Deismo Naturalistarum generatim spectato* eod. anno vertil. Maxime huc conferenda sunt quae in priori docuit Vir S. R. §. IV. V. VI.

63) *Cfr.* quoad locos ex *Libb. Samuelis et Chronicorum* allegatos STARCKII *Synopsis Bibl. Ex. ad ll. hh.* Quoad eos, qui ex *Psalmis*

jam sola sufficientes sisterent characteres, finique nostro satisfacientes, sed malumus eo, quem descripsimus, ordine progredi, et, his quidem locis non neglectis, aliis quoque nosmet non privare huc maximopere spectantibus. Ad ipsam itaque rem nunc properamus.

§. 30.

PRIMVM argumentum nobis suppeditat circumstantia *temporis*, quam *Sect. I.* §. 4. annotavimus. Manifestatus et ad officium publice inauguratus est Redemtor, cum maxima esset baptismi Joannei celebritas, sensim per Christi praedicationem, et, per discipulos, baptismum imminuta. IVSTINO hoc, vt supra vidimus, ansam praebuit asserendi: *Iesum Nazarenum esse eum, qui suo adventu prophetiis gentis Iudaicae fecerit finem.* Et hoc quidem argumentum adeo grave judicavit IVSTINVS adversus Judaeos, vt omnem eorum *objectionem*, contra *vaticinia* de Christo, *quasi obscura ea essent et aequivoca*, omnino evertat 64). Quamvis enim videatur objici posse, etiam post Joannem vaticinatum esse *Caipham Io.* XI. 51. ei tamen facile occurritur distinctione, inter prophetiae genus extraordinarium et ordinarium, hinc inter Prophetas Canonicos et inferioris ordinis, quam suppeditavit CAMPEGIVS VITRINGA 65). Quodsi autem non videantur ista sufficere, certissima tamen est illa

mis adducti sunt, comp. GEIERI *Comment. in Psalmos* et DAVDERSTADII *Lab. Psalt. ad hh. ll.* et qua *Dan. IX.* cfr. iterum *h.* GEIERVS *Prael. Acad. in Dan. ad h. l.*

64) Ita enim *Tryphoni*, vaticiniis aequivocationem objicienti, *Justinus* l. c pag. 72. respondet: *nisi prophetae, mi Tryphon, desiissent in vestra gente post Joannem, poteratis eorum, quae ad Jesum Christum refero, ancipitem interpretationem facere. Quod si Joannes praecessit clamitans, agerent poenitentiam, et Christus, adhuc eo sedente apud Iordanem fluvium, superveniens finem prophetiae baptismoque illius imposuit, ipse laetum afferens propinqui regni coelestis nuntium et praedicens - - id quod factum videmus, quomodo potestis dubitare amplius, cum possitis rebus ipsis credere?* Postquam deinde ex *Gen.* XLIX. 10. probasset, prophetias in gente Judaica Messiae adventu cessare debuisse, porro p. 73. addit: *Sed postquam Iesus noster Christus in gente vestra exortus - - est, numquam prophetam habuistis, nec habetis, nec Regem quidem proprium.*

65) *In observat. Sacr. Lib.* VI. *Cap.* XIV. p. 411. ff. cui accedere videtur b. WOLFIVS *l. c.* ad *h. l.*

Iustini sententia, cui nec illa de Caipha objectio obverti potest: *Iesum prophetiis gentis Judaicae finem feciſſe, atque* POST JESVM *nullum in illa gente exortum fuiſſe prophetam, qui divinitus ſit miſſus, miſſionisque ſuae documenta habuerit.* Quod quousque ex *Gen.* XLIX. 10. probare potuerit *Iuſtinus*, non noſtri quidem ſcopi eſt inquirere. Sententiam Juſtini non ſimpliciter ſenſui illius vaticinii contradicere, concedimus, faciliores tamen aſſentimur iis, quae Jacobi ſententiam ſelicius exhibent, a *S. R. Frid.* WAGNERO *l. c. P. I. C. II. et III.* propoſita: per *Legislatores ſc.* intelligi *Principes Populi et Aſſeſſores Synedrii magni, qui a Nehemia inſtituti ad Hieroſolymorum vsque deſtructionem* perdurarunt. Sufficit, firmum eſſe illud Juſtini aſſertum: *quod Ieſus Nazarenus adventu ſuo prophetiis gentis Iudaicae finem impoſuerit.* Idem autem aſſertum illuſtriſſimo, ad quod manu nos quaſi ducit, V. T. de Chriſto vaticinio firmiſſimum redditur. Eſt illud, quod legitur *Dan.* IX. 24. 25. 26. 27. vbi inter alia expreſſe dicitur: *quod intra ſtatutum ſeptuaginta hebdomadum tempus et per aduentum quidem Chriſti obſignandae ſint viſiones atque (termino* נביא *metonymice ſumto) prophetiae: et, quod tempore Meſſiae, cum venerit Meſſias,* hoc futurum ſit, expreſſe innuit vltima v. 24. propoſ. *Obſignandae illae ſunt,* tum quia in Chriſto adimplentur omnes de ipſo agentes prophetiae, atque cum ipſo inchoatur *Aera* illa, ad quam reliquae, ſuo tempore implendae, pertinent, ſcil. *Chriſtiana, N. T.* tum quia in gente Judaica ceſſatura eſt prophetia: ſic vtraque optime conjungitur obſignandi ratio, quae ſcilicet, *vel* impletionem, conſummationem, confirmationem notat, vt in obſignatione Teſtamenti aliorumque Inſtrumentorum, *vel*, amplius non addendum eſſe quidquam, non haberi porro in gente, de qua ſermo eſt, Judaica, Prophetiam vel Prophetam, indigitat 66). Qui enim poſt Chriſtum fuerunt Prophetae *Eph.* IV. 11. *Act.* XI. 28. XX. 23. XXI. 4. 11. 12. 1 *Theſſ.* IV. 15. 2 *Theſſ.* II. 3. ſ. 1 *Tim.* IV. 1. ſſ. 2 *Pet.* II. 1. ſſ. III. 3. ſſ. et quae viſiones *Act.* X. 10. *Apoc.* I. 10. al. non erant gentis Judaicae ſed Chriſtianae, iisque reliquae adhuc implendae V. T. prophetiae etiam confirmabantur. Et quamvis poſt Malachiam

66) Ita *b.* GEIERVS *in Prael. Acad. in Danielem Proph.* p. 733. interpretatur.

chiam in gente Judaica ceſſaverint Prophetae, quos *Canonicos* cum VITRINGA non immerito dixeris, ad vsque Joannem 67); hunc tamen excellentiorem Propheta, Matth. XI. 9. et ipſum Prophetam maximum, Chriſtum, Deut. XIIX. 15. 18. 19. Jo. VI. 14. ex ea gente excitaturus erat Deus. Poſt *Jeſum autem manifeſtatum, vaticiniisque de Chriſto impletis, prophetis in illa gente non amplius locus erat, adeoque hujusmodi prophetiarum generi finis imponebatur.* Exſurgit itaque ex dictis argumentum noſtrum *primum* hunc in modum: *Cujus adventu et manifeſtatione Prophetiis atque viſionibus gentis Judaicae finis imponitur, is eſt verus Meſſias: Ieſu Nazareni adventu et manifeſtatione factum hoc eſt.* E. *Ieſus Nazarenus eſt verus Meſſias.* Majorem docet *Propheta Daniel. l. c.* Minorem ſuppeditant, quae *Sect. praec.* §. 4. docuimus, et hic *ex Iuſtino*, conſentiente Scriptura S., declaravimus.

§. 31.

Conſideratio *Temporis*, quo Jeſus manifeſtatus eſt Chriſtus, *aliud* adhuc nobis ſuppeditat *argumentum*, praelucente iterum *Daniele* Propheta. Is enim, cum *l. c.* LXX. *hebdomades* nuncupat, earundemque *vltima* Chriſtum plurimis foedus confirmaturum eſſe dicit, hinc officium Chriſti propheticum *initio* LXXmae *hebdomadis inchoandum eſſe* vaticinatur, *et media, illa hebdomade exſtirpandum eſſe Chriſtum, docet*, multiplex quidem ſuggerit pro demonſtranda noſtra veritate argumentum. Verum ſubſiſtimus h. l. in notatione *temporis*, quo publice inauguratus Redemtor officium publice peragendum ſuſcepit. Fieri hoc debuit praedicente *Daniele v.* 26. 27. ad *ipſum hebdomadis vltimae initium.* Demonſtrationes millies prolatas, quibus evincitur, *non eſſe niſi hebdomades* ANNORVM *hoc loco intelligendas*, hic repetere nolumus, easdem potius apud alios 68) ſuppo-

67) Rationes hujus rei, quibus haud difficulter aſſentiri poteris, ſuppeditat VITRINGA l. c. p. 416. ſ.

68) Habebit eas demonſtrationes L. B. apud GEIERVM l. c. p. 723. 724 et *Benedictum Gottlob* CLAVSWIZIVM in *eximio Tractatu* Abhandlung von den ſiebenzig Wochen DANIELS §. 106. Vid. Samlung von Erläuterungs-Schriften und Zuſätzen zur Allgemeinen Welt-Hiſtorie, = = herausgegeben von Siegm. Jac. BAUMGARTEN, Th. I. p. 211.

ſupponimus legendas. In deſcribendis autem his *annorum* hebdomadibus 70 = 490 annis *ſolaribus*, hinc annorum hebdomadibus 69 = 483 annis ſolaribus, *terminus*, *a quo* hebdomades incipiunt, accurate definiendus eſt. Studioſe eum notavit *ipſe propheta Dan.* IX. 25. exitum ſcil. mandati *de reaedificanda Hieroſolymorum vrbe* terminum *a quo* conſtituens. Diverſiſſimum quidem novimus interpretum in hoc ipſo termino definiendo judicium, quorum *quidam* mandatum Dei, *quidam* mandatum Regum Perſarum intelligunt. Sed in *prioribus* refutandis otium nobis fecit *not. praec.* laudatus S. R. CLAVSWIZIVS 69). Quoad Reges Perſarum iterum, vt reliqua mittamus, diſputatum eſt, an initium calculi repetendum ſit ab eo mandato, quod *Cyrus* anno *regni primo* 2 *Chron.* XXXVI. 22. *Eſr.* I. 1. V. 13. an ab eo, quod *Darius* ſive *Hyſtaſpis* ſive *Nothus*, vt quidam volunt, anno *regni ſecundo* dedit *Eſr.* IV. 5. VI. 1. 6. An a mandato *Artaxerxis Longimani* anno regni *ſeptimo Eſr.* VII. 1. 6. 11. an a mandato *ejusdem Artaxerxis* vel *Arthaſaſtae*, anno regni *vigeſimo* dato *Neh.* II. 1. 8. Liceat nobis hoc loco in iis perſiſtere, quae a laudato modo Dn. CLAVSWIZIO *l. c.* §. 230. et b. BAVMGARTENIO *l. c.* pag. 214. ſeqq. adducta ſunt, quibusque ſufficienter, quod arbitramur, ii refelluntur, qui *vel* Cyrum, *vel* Darium, *ſive* Hyſtaſpin *ſive* Nothum *mandati*, quod Propheta reſpicit, *Auctorem* faciunt. Ad *Arthaſaſtam* (ſcil. illum *Artaxerxem Longimanum*, prouti S. R. D. CLAVSWIZIVS *l. c.* §. 234. p. 251. ſeqq. ſufficienter demonſtravit) *mandatum* illud, vel verbum, דבר, quod Propheta nuncupat, referendum eſſe, omnino aſſumendum eſt. *An* vero illud ſit, quod anno regni VII. an illud, quod anno regni XX. *ab ipſo* datum legitur, diſpiciendum eſt. Et in his illud aſſumendum, quod anno regni XX. dediſſe legitur *Neh.* II, 1. 6. ſ. Calculum noſtrum cum VSSERIO l. c. et, qui hunc forte ſequitur, b. *Guſtavo* REINBECKIO 70) ita ducimus, vt, *teſte Thucydide*, initium regni *Arta-*

69) Legi poteſt ea ſolida refutatio in der Fortſetzung der Abhandlung von den 70 Wochen Daniels §. 207. quam exhibet b. D. Baumgarten, l. c. Th II. p. 124. ff.

70) Vid. Ejus Betrachtungen über die Augsp. Conf. Th. III. Betr. *XXXIX.* §. 39. pag. 216. ſeqq.

Artaxerxis constituamus tempus, quo ad eundem, post datas, quas *Thucydides* 71) refert, literas, confugit *Themistocles*: hoc autem *Eusebius* 72) docet factum esse anno 4. olymp. 76. annus itaque *vigesimus Artaxerxis* est annus 3. *Ol.* 81. qui, cum *Roma condita* sit, teste *Dionysio Halicarnasseo* 73), ao. 1. ol. 7., erit annus ab V. C. 299. Natus est AVGVSTVS *Cicerone* et *Antonio* Coss. 74) anno ab V. C. 691. et annorum 76. denatus 75), successorem statim habuit, jam ipso vivente per biennium pari potestate ornatum, *Tiberium*; Erit E. annus *Tiberii* 15. annus ab V. C. 782. Quodsi nunc ab his subtraxeris ann., qui ante annum XX. *Artaxerxis* decurrerunt 299. ab V. C. remanebit numerus annorum 483., qui a mandato *Artaxerxis Long. Nehemiae* dato ad annum 15. Imp. *Tiberii* decesserunt 76). Sed eundem

71) Vid. Ejusdem *de Bello Peloponnesiaco Lib. I.* pag. 31. *Ed.* quae cum interpretatione *Laurentii Vallae* studio *Henr. Stephani* prod. Ann. MDLXIV.

72) Cfr. *Eusebii Pamphili Chronic.* Libr. Poster. *p.* 131.

73) Vid. Ejusdem *Antiquit. Rom. Lib. II. Ed.* ejus Script. *opera Friderici Sylburgi Veterensis, Fcft. a.* 1586. *p.* 78.

74) Sic discimus ex *Suetonio* in Vita AVGVSTI Cap. V.

75) Teste *Dione Cassio* Rom. Hist. *Lib.* LVI. Interpr. *Guilielmo Xylandro* latine ed. *Basil. a.* 1558. pag. 361.

76) Pro tuendo hoc calculo videamus, quae a Duumviris S. R. CLAVSWIZIO et *Theod. Chrph.* LILIENTHAL eidem recentiu; opposita sunt. Cum, quae a S. R. CLAVSWIZIO, licet majori dicendi copia, objiciuntur, etiam habeat *S. R.* LILIENTHAL; has *hujus Viri Cel.* objectiones singulatim perlustrabimus. *Objicitur autem* I) *Quod* Esdras obtinuerit *mandatum Regium publicum*, Nehemias autem nonnisi *oralem concessionem*. Verumenimvero plus in hoc dubio quaerunt praesidii Viri S. R. quam inde sperari potest. Nec enim a) *ejusmodi formale* edictum *Daniel* nuncupavit, nec voce דבר *necessario* intelligi debere, vlla ratione probabitur. b) *Nullibi* Edictum, quod *Esdrae* datum est, nuncupatur דבר, Nehemias autem ad דברי חמל, quorum quippe plura habebat, provocat *Neh.* II. 18. c) *Nudam concessionem*, eamque solam *oralem*, Nehemiae datam esse, dici nequit, quia expresse, non vt *privatus* ex permissione Regis, sed vt a Rege *publice missus* proficisci voluit Nehemias, idemque factum esse, *Neh.* II. 5. 6. dicitur. Nec *oraliter* missus est, sed *mandatis* Regiis

ad

annorum numerum conficiunt 69. hebdomades annorum Danielis; vt

ad *Satrapas* vel Praetores datis: nec de *privatis literis commendatitiis* hic cogitandum est, cum sint *Regis Literae* ad *Ministros suos* de rebus, quae non *a Ministrorum voluntate et arbitrio*, sed a *solo Regis* dependebant *jussu*, *Neh.* II. 7. 8. Et quamvis non adjiciatur hoc loco, vt *Esdr.* VII. 12. 13 14. *Titulus Regius cum reliquis de VII. Principibus circumstantiis*; ratio hujus differentiae tamen est manifesta, quia scil. *h. l. Literae non recensentur* totidem verbis, vt apud Esdram, sed earum *contenta tantummodo* enumerantur. d) *Cum Nehemias* velit a Rege *mitti ad aedificandum vrbem*, non velit privatim agere, sed ex mandato Regis, *literas petat*, quo ipsi facultas sit rerum ad aedificandum necessariarum, *cumque*, quicquid voluit, *obtinuerit*: sane hae literae non potuerunt non esse *mandata* ad Satrapas reliquosque a Rege data, et consignata esse praemisso Regis Titulo, reliquisque consuetis: et, quod maximum est, non potuerunt non exprimere rationem missionis, non potuerunt ergo non continere *verbum de aedificanda Hierosolyma*: e) *Transgressoribus* mandati poenam denuntiari hoc loco, vt *Esdr.* VII., necessarium fuisse, probari non potest, cum negotium, quod hic agitur, alius sit naturae. Ibi injungitur cultus divinus, cujus violatio poenam meretur, hic vero de aedificandis domibus, quae res arbitrio hominum aedificantium magis subest, sermo est. Excitatione ad aedificandum opus erat, eamque *Nehemias*, a Rege missus, non neglexit. *Neh.* II 17. *in al.* f) *Hoc loco* in literis ad Satrapas reliquosque datis habetur et non poterat non haberi דבר de aedificanda vrbe, vt lit. d) dictum est, de hoc vero in mandato *Esdrae* dato ne verbum quidem occurrit. *Nec* g) *ex eo*, quod ab *Esdra* templum aedificari, et Judices constitui, debuerunt, vrbem aedificandam fuisse consequitur, et tanto minus, cum et ipsum hoc Satrapae Persarum impedirent *Esr.* IV. 10. 16.; immo si concludi posset; idem multo magis ex ipso mandato *Cyri* sequeretur, idemque pro mandato a Daniele indigitato habendum esset, quod tamen fieri nequit. *Fatendum ergo est* h) *non esse aliud* דבר, *ad quod vaticinium* DANIELIS *quadrare possit, quam hoc ipsum anno* ARTAXERXIS *XX.* NEHEMIAE *datum.* Et cum, Nehemiam *aedificia publica* exstruendi causa missum esse *Neh.* II. 8., ipse Vir S. R. LILIENTHAL dissimulare nequeat; his concessis sane reliqua concedi debent. *Cfr. Nehem.* VII 4. *XI.* 1. ff. i) Quamvis concedatur, *principem aliquem finem* fuisse, vt *murus* conderetur, non tamen *vnicum*

princi-

vt itaque illi cum anno Tiberii 15. ad finem decurrant. Annus

 autem

principem finem fuisse, per se intelligitur, cum incongrui aliquid sit vrbs muro cingenda incolis vacua. In petitis *Nehemiae* vtrumque conjungitur *Cap.* II. 3. vbi primo *vrbis* deinde *ejus portarum* quoque mentio fit. *Objicitur* II) *Improbabile esse*, vt ab anno, quo muri jam exstructi fuerunt, etiamnum 37. anni praeterierint, antequam vrbs aedificata dici potuerit. At R. Valde mirandum potius esse, elapsis his annis *jam* exstructam esse potuisse vrbem, et fieri non potuisse, persuasum mihi est, nisi speciali providentia divina dirigente et prosperante. *Si caeteroquin calculus est legitimus; hoc sane dubium per se corruit.* Objicitur III) *Secundum* Ptolomaei *Canonem*, (quem exhibet *Sethus Calvisius in Op. Chron. Isag. C. XI.*) non obtineri calculo nostro annum mortis Christi. At vero a) *cum* ea objectio supponat, *Xerxem* 21, et *Artaxerxem* 41 annos regnasse, quod cum *Diodoro* statuit *Ptolomaeus*: illud autem a nobis *negetur*: objectio non ferit nostrum calculum, sed eorum, qui annos lunares statuunt. Largitur hoc et ipse S. R. Dn. *Lilienthal* cum S. R. *Clauswizio*, hinc alia ratione contra nos disputant. b) *Quamvis verum sit* juxta *Canonem Ptolomaei* eos, qui, cum *Xerxi* annos 21. tribuissent, annum 7mum Artaxerxis initium hebdomadum faciunt, inde ad vsque annum 19. Tiberii, quo mortuus est Christus in cruce, numerare 490 annos: eos tamen gravis alia vrget difficultas, *quod* scil. *hebdomades* jam finitas numerant, vbi non habent nisi 69. *et dimidiam*, quae *mortis sive exstirpati Christi a Propheta ponitur Epocha*, illud autem cum *textu Danielis consistere plane nequit*. Ex altera autem parte *hebdomadibus* 69 hebdomadem *foederalem Messiae non attingunt*, quod denuo *textui Prophetae repugnat*: In illo autem, quem nos secuti sumus, calculo, vaticinio *Danielis omnia optime* conformantur. c) *Hoc ipsum quoque* bene intelligunt Duumviri doctissimi, adeoque, in vltima hebdomade illud שבע non adeo stricte, vt praecise hebdomadem bisecet, sumendum esse, alteramque hebdomadis partem, sive aequalis sit priori sive minus, bene vltra 490 annos extendi posse, arbitrantur. Verum *prius* aeque ac *posterius* vaticinio *Danielis contrariatur*, et posterius simul partem ejusdem calculi prophetici alio modo explicat ac priorem, *quod interpretandi regulis minus est conforme*. IV) *In* calculo *Eusebium* atque *Thucydidem* erroris arguunt, *Diodorumque Siculum* praeferunt. Vir. S. R. *At* a) *quantum* ad *Eusebium* attinet, cum et ipso *Diodoro* teste, *Themistocles* accusatus sit *Servilio* et *Virginio* coss. illi vero consulatum tenue-

autem Jmperii Tiberiani, cum die *sexto Augusti* mortuus sit AVGVSTVS

tenuerint, teste *Dionysio Halicarnasseo*, Ol. LXXVI. anno 2., eodem autem ipso anno, Themistoclis defensionem, laudes, novam accusationem, expulsionem, fugam ad Argivos, nova Lacedaemoniorum adversus ipsum molimina, fugam ejus ad Corcyraeos, indeque ad Admetum, ejusdem ibidem persecutionem, transitum per vicinia Naxi, Ephesum, fugam ad Lysetheiden, transitum inde in Persiam, accusationes novas, defensionem, Regis gratiam, regionum integrarum concessionem, tandemque mortem, consecuta esse, vt vult Diodorus, *omnem transcendat fidem*; multo probabilius est, *Themistoclem*, biennio *post*, tandem ad *Persarum Regem* venisse, adeoque, secundum *Dionysii Halicarnassei* calculum, *ol.* LXXVI. 4. quod cum *Eusebio* concordat. b) *Quantum* ad *Thucydidem* attinet, is in obsidione *Naxiorum* fugam factam esse docet, adeoque inter hanc obsidionem et victoriam a *Cimone* ad *Eurimedontem* reportatam ea referenda est. Enimvero Cimon Dux constitutus est coss. *P. Valer. Publicola*, et *C. S. Nautio* s. *Appio Rufo*, teste Diodoro. Dionysius Halycarnasseus autem coss. fuisse dicit a. *ol.* LXXVI. 3. Adeoque, *quod fuga ad Regem non ante annum 4. ejusdem ol. evenire potuerit*, iterum patet. Optime itaque hactenus in his concordant *Thucidydes*, *Dionysius* atque *Eusebius*, et quoad circumstantias ipse quoque *Diodorus*, si ejus calculum *secundum nominatos* coss comparaveris. c) In reliquis vero, de quibus quaestio est, *Diodoro* bene *omnia constare*, *magnopere dubitandum est*. 1) enim *Thucidydes* longe antiquior est scriptor ac *Diodorus*, reliquique omnes, ex quibus hic haurire sua potuit, vt *Ephorus*, *Dinon*, *Clitarchus*, *Heraclides*, quippe qui a temporibus *Themistoclis* longe *remotiores sunt atque Thucidydes*, qui *ipso vivente Themistocle* jam natus est; et Lampsacenus Thucidyde antiquior huic conformis est. 2) Cum *Diodorus* consentiat *Dionysio Halicarn.*, Xerxem a. 1. ol. LXXV. bellum fecisse Grajis; non autem in coss numerandis et annis iisdem assignandis consentiat; Libri autem VI-X *Diodori* deficiant, hinc fundamentum erroris ex *Diodoro* demonstrari nequeat: *ipse hic Diodori defectus fidem ejus haud parum debilitat.* 3) Praeterea *Diodorus* non modo ad LXXV *Ol.* a. 1. retulit coss. quos *Dionysius Halicar.* ad *Ol.* LXXIII. 4 refert, *et sic porro*; sed et ab illo *consulatus Q. Fabii* et *Julii Tullii*, quem ad annum 4. *Ol.* LXXIV. *Dionysius* refert quemque adeo ille ad annum 1. *Ol.* LXXVI. referre debuisset, *omnino*, adeoque simul integer annus, in calculo

praeter-

STVS, non multo post 6. *Aug.* finitus est. Cumque per aliquot

 certe

praetermissus est, quod animum minus attentum arguit, qui calculum *Diodori* necessario debet corrumpere. 4) *Cum Diodorus* et *Dionysius*, quoad *numeratum secundum* COSS. accusati *Themistoclis* annum conveniant (per a.): et vterque iterum, secundum eundem calculum, consentiat quoad *Naxi obsidionem*, hinc cum *Eusebio* fugam secundum *Thucidydem* numerante concordet vterque (*per b*): Diodorus autem in calculo *secundum Olymp.* discedat, et manifesto vnum errorem commiserit (*per c.* 2. 3.); velim judicet quisque, *cui magis in determinando tempore fugae Themistoclis assentiendum sit*, *Eusebio*, *Dionysio*, *Thucidydi*, an *Diodoro*? 5) Quae cum ita sint, praetereaque aetati *Themistoclis*, *Xerxis*, et *Artaxerxis*, proximus fuerit *Thucidydes* et *Lampsacenus*: *quin in asserto Thucidydis*, quod *ad Artaxerxem confugerit Themistocles*, acquiescendum sit, nulli dubitamus. Quo tamen neutiquam negari necessum est, Xerxem initio fugae adhuc vixisse. Fuga enim teste *Dionysio* jam incipiebat *Ol.* LXXVI. a. 2. Potuit *Themistocli* primo constitutum fuisse ad *Xerxem* profugere, idemque quibusdam occasionem potuit praebere asserendi, quod *vere* ad *Xerxem* profugerit. 6) Ex his itaque porro intelligitur, *Diodorum in eo peccasse*, quod *Xerxi* 21. annos, *Artaxerxi* vero 40 annos tribuit. Nec me movet DODWELLI artificium in conservando calculo Regni *Xerxis* et *Artaxerxis*, retenta simul *Thucidydis*, de *Themistoclis* ad *Artaxerxem* fuga, sententia, dum, stante adhuc inter *Isocratem* et *Demosthenem*, nec nondum decisa, *de duratione Imperii Atheniensium*, lite, vt videre est apud VITRINGAM *Obs. S. Tom* II. p. 255, vtique *lacunam facit* Dodwellus *in historia graeca*: vt taceam reliqua a *Vitringa* opposita, et maxime apertissimam DODWELLI et *Thucidydis* in χρονοτάξει obsidionis *Naxi* et praelii ad *Eurimedontem* contradictionem. 7) *Et licet denuo nobis possit* opponi *Canon Ptolomaei*: jam tamen observavit *D.* VITRINGA, *Canonem hunc*, *in describendis durationibus regni Xerxis et Artaxerxis*, *observationibus Astronomicis non inniti*, consequenter, cum novior sit, ad tempora quippe *Antonini Pii* referendus, majorem fidem non mereri atque *Diodorus* aliique *Thucidyde* posteriores. 8) Ex his itaque omnino confirmatur sententia *Jac.* VSSERII *l. c.* p. 105. 106. 107. quod vnico quasi obtutu conspiciendum praebebit tabella, qua VITRINGA *Dodwellianas* cum *Vsserii* rationibus comparavit *l. c.* p. 251. Nec quidquam nos morabitur *Eusebii* lapsus, quod fugam *Themistoclis*, quam

Chro-

certe menses jam officio praefuisset Joannes, cum Jesus in baptismo manifestaretur Messias: facile intelligitur, in finem anni 15. vel initia anni 16. regni Tiberiani, primi hebdomadis septuagesimae anni incurrisse principia, eaque omnino attigisse Jesu Christi publicam inaugu-

Chronicorum Libro Poster. ad annum 4. *Ol.* LXXVI. retulerat, in *Canone Chronico* ad annum 1. *Ol.* LXXVII. refert. Lapsus enim ejusmodi optimo accidere potuit, fuga etiam optime in tempus $\frac{\text{Ol. LXXVI. 4.}}{\text{Ol. LXXVII. 1.}}$ incidere potuit. Non enim in *utroque loco Eusebius* annum 1. *Ol.* LXXVII. habet, hinc lapsus in *Eusebium* potius, quam in *Vsserium*, vt putat Vir S. R. CLAVSWIZIVS *l. c.* §. 236. p. 261. *nota* E., rejiciendus erit. *Thucidydi itaque potius quam Diodoro* assentiendum esse, res ipsa loquitur. Tandem V) *Vir S. R.* LILIENTHAL objicit, *Thucidydem sibimet ipsi contrarium esse*, qui mortem *Artaxerxis* ad annum VII. belli Peloponnesiaci, quod initia sumsit a. 1. *Ol.* LXXXVII. referat vnde: *mors Artaxerxis secundum ipsum incidat in annum* 3. *Ol. LXXXIIX.*, *hinc, si, ab hoc anno retrorsum numerando*, 40 *annos regni ejus secundum Diodorum subtraxeris, initia regni ejus in annum* 3 *vel* 4 *Olymp.* LXXIIX. (quem deinde scite Vir. S. R. commutat in annum 1. *Ol.* LXXIX) *incurrant, consequenter non possint referri ad annum* 4. *Ol. LXXVI.* Verum enimvero quis non animadvertit *inversum ordinem*, quo *Thucidydes* longe antiquior emendatur per *Diodorum*, recentiorem, *minus accuratum, immo defectibus* laborantem, *cum potius*, vt fecit CAMPEGIVS VITRINGA, stabilito secundum *Thucidydem* termino *mortis Artaxerxis*, (quem *Diodorus* iterum *anno sequenti* ponit), *secundum eundem Thucidydem quaerendum initium ejus regni*, et, cum idem in *a.* 4. *Ol.* LXXVI. incurrat, *inde judicandum fuisset, Artaxerxem non annos XL. sed potius XLIIX. vel XLIX. regnasse*, adeoque *Diodorum emendandum esse*, vt emendavit VSSERIVS *l. c.* p. 115. Sic itaque omnis objecta Thucidydi cadit contradictio. Caeterum in comparandis *Ol.* et *ab V. C.* annis commendari meretur *Henr.* GLAREANI *Chronologia s. Temporum Supputatio in omnem Rom. historiam a Troja capta, ad* 1283. *ab V. C.* VI) Cum initium LXX mae hebdom. constituimus initium anni XVI. Tiberii; quaestio supereſt, *quo collocandus sit ejusdem hebd. finis?* Pergimus in eadem numerandi methodo, finemque illius hebd. annis $3\frac{1}{2}$ post mortem Christi elapsis, ponimus. Incidit in hoc tempus momentum, *quo mandatum div. accepit Paulus, vt festinanter Hierosolymis discedat procul ad gentes mittendus Act. XXII.* 18. 21. Factum hoc

augurationem. Enimvero post inaugurationem ad officium sua doctrina plurimis ex gente Judaica foedus divinum confirmare coepit, nec alius, quo confirmaverit, modus cogitari potest 77). Vnde *argumentum* pro veritate, quam defendimus, exsurgit *Secundum*: Qui circa

hoc est, cum *Damasco*, conversus, rediisset *Hierosolymam l. c.* hinc *triennio* post conversionem suam, Gal. I. 18. *cfr. Actor.* IX. 26. Quodsi initium LXX. hebd. annum mundi 3550. ponas; additis 483. finis 69 = 7 † 62 hebd. in A. M. 4033. incidit, et inde oritur vltima hebd. in *cujus medio* Christus, post $3\frac{1}{2}$ annos officii sui, mortuus est. Finis illius hebd. et simul finis omnium LXX hebd. (annumeratis adhuc $3\frac{1}{2}$ annis, hinc annis dictis 4033 adhuc *septem* additis) habebitur A. M. 4040. Ad annum ergo mundi 4041. referendum jure censuit *Iac.* VSSERIVS *mandatum Paulo datum*, de quo diximus. Vid. *Ejusd. Annales* p. 950. Hoc ostenso sublatum etiam est dubium, quod b. *Calovio* opposuit S. R. CLAVSWIZIVS *l. c.* §. 238. p. 264. quodque et huic nostrae methodo obici potuisset. Caeterum ex hactenus dictis abunde patet, in quibusnam principiis S. R. CLAVSWIZIO *l. c. Sect.* IV. V. VI. adstipulemur, et in quibusnam *consensum praebere nequeamus*. Quare deductione hac facile supersedemus, maxime cum a) *rationes* nostrae cuivis rei gnaro *pateant* b) S. R. CLAVSWIZIVS ita de hac nostra methodo bene sentiat §. 236. vt adversus ipsum, non minus ingeniose ac pie meditantem, calamum stringere *nolimus*, *et* c) *ex dictis* manifestum sit, non posse sententiam, quam hactenus defendimus, pro tali haberi, quae probari nequeat, Vindicato itaque calculo in §pho adducto, *argumentum nostrum confirmatum esse*, per se intelligitur.

77) Quae Danielis Vaticinio opposuit *Auctor Examinis* calumnias et ignorantiam produnt. Scribit *l. c. p.* 83. §. 9. *Qu' est ce encore que ces pretendues semaines de Daniel?* 1) *apres les quelles le Messie doit venir.* 2) *On peut les expliquer comme on veut.* 3) *L' Eglise dit, que ce sont des semaines d' annees*, et 4) *moi, je dis, que ce sont des semaines de siecles, de mois, coet.* 5) *Le Prophete ne s' est point expliqué, parce qu'il n'en savoit rien.* 6) *il a parlé en homme.* Dabimus jam ad singulos adscriptos a nobis numeros responsionem. *Primum* falsum est. Christus enim non *post*, sed *intra* LXX hebdomades venturus praedicitur, ad initium vltimae hebd. foedus divinum plurimis confirmaturus, media vero ea hebd. exstirpandus *morteque sua sacrificia, qua valorem suum, abrogaturus*. Et haec in Jesu Nazareno omnino impleta esse *partim* jam ex dictis patet

circa initium anni primi Hebdomadis LXXmae Danielis plurimis foedus confirmaturus, officium publicum suſcepit, declaratus Meſſias, ille eſt verus Meſſias: Atqui hoc ipſum de Ieſu Nazareno confitendum eſt. Ieſus itaque Nazarenus eſt verus Meſſias.

§. 32.

patet, *partim* infra docebitur. *Secundum* pariter falſum eſt, cum *nullam* aliam atque noſtram numerandi rationem *vaticinio Danielis conformem eſſe*, aſſeruerimus ducto calculo clariſſimo. In vaticiniis reſpiciendum eſt *ad implementum*, nec aliud aſſumere licet, niſi in quod *omnia*, *quae in vaticinio continentur*, quadrant. Quodſi ejusmodi nullibi haberi demonſtrari poſſit; *nondum impletum eſſe vaticinium dicendum eſt.* Hoc autem vaticinium jam impletum eſſe ſole meridiano clarius eſt, quia *ante mortem* Chriſti vrbs Hieroſolyma reaedificanda, templum ſecundum exſtruendum, ſacrificia reſtituenda, poſt mortem vero Chriſti vrbs cum templo deſtruenda praedicatur, quod omne impletum eſt. Oſtendere debuiſſet homo exemplum individuum vnicum, in quod ne dicam omnia, ſed vel vnum, ex praedictis quadret: hoc vero cum nequeat; in Jeſu autem Nazareno non vnum, vel alterum, ſed omnia, exactiſſime impleta ſint; quis non videt vaniſſimi hominis inſaniam? *Tertium* verum eſt. *Eccleſia dicit.* Numquid autem dicit *ſine fundamento*? dicit, quod non *per* modum computandi propheticum, populo Judaico notum, *per* inconvenientiam cujusvis alius calculi, imprimis autem *per* ipſum eventum infallibili ratione demonſtratur! *Vid.* quos *ad num.* 69. 70. excitavimus. Quoad *Quartum* ſibimet ipſi contradicit. Non poſſunt intelligi hebd. *Seculorum* et hebd. *menſium* ſimul. Quid ergo ex his aſſumi debet? Nihil. Certe *Seculorum menſiumve* hebd. intelligi nequeunt. Non *priores*, quia jam impletum eſſe vaticinium demonſtravimus: non *poſteriores*, quia poſt LXX hebd. *menſium* ab exitu דבר אשר de exſtruenda vrbe *nullum habebitur exemplum* in quod vel vnicum praedictionis membrum quadret. Annorum autem hebd. aſſumendas eſſe ex eventu infallibiliter demonſtratur. Nec quidquam adducere potuit homo, quod non ſomniaverint jam alii dudum ſatis refutati. Cfr. CLAVSWIZIVS et LILIENTHAL *ll. cc.* *Quintum* denuo eſt longe ſtolidiſſimum, cum a) *res ipſas*, *praedicata Meſſiae*, *ſtatum vrbis*, *mortem Meſſiae*, *abrogationem ſacrificiorum*, *everſionem vrbis* caet. *diſtinctiſſime* doceat Propheta. b) *Duplicis* tantum generis hebdomades Script. S. novit *Dierum* ſcil. atque *Annorum*. Atque has, non illas

§. 32.

Subjectum, quod ad Baptismum accedit, est Jesus Nazarenus, quem Bethlehemi natum *Matth.* II. 1. *Luc.* II. 4. seq. ex familia Davidis

I

las, intelligendas esse, applicando vnam vel alteram hebdomadum illarum speciem, infallibiliter conficitur c) vaticinii cujusvis natura est, vt aliquam contineat *rerum* obscuritatem, cum futura contingentia praedicat. Eam itaque, etiam in hoc *Danielis* vaticinio, concedimus, neutiquam autem *verborum* obscuritatem nisi forte *relativam* respectu *hujus* vel *illius* Lectoris et Interpretis, qui principiis eorumve recto, vsu destituitur. d) *Obscuritatem* Auct. hic, *Porphyrius* et *Collinus autem nimiam distinctitatem*, Danielis vaticiniis objicit, vt revelationem continere neget. Vertiginis en! spiritum vanissimas mentes huc illuc impellentem! e) *Quomodo* sub vlla veritatis specie dici potest, *Danielem ipsum de hebd. nil quidquam* sciviſse cum tamen earundem initium et finem distinctissime determinaverit? f) *Cum Deus* tempus, a quo *inchoari* LXX hebd. v. 25. et *Neh.* II. 1. et tempus, quo *finiri* LXIX hebd. et, manifestato Redemtore, incipere debeat hebd. LXX^ma *foederalis* v. 27. et *Luc*, III. 1. indicaverit: quid, quaeso, distinctius modum determinare potest, quo numerandi sint anni his hebd. designati? Ex his E. jam patet *Sextum* obmotum esse falsissimum. Evincunt hoc etiam sequentia. Tempus, quo exiit דבר de reaedificanda vrbe, est *annus* XX. *Artaxerxis Longimani*. Vixit autem *Daniel* vltimum vitae tempus *tempore regni Darii Medi* et *initio regni Cyri* Dan: IX. 1. X. 1. et hoc quidem oraculum anno *primo Darii Medi*, centum circiter annos ante ipsi revelatum est, quam ipsum דבר de reaedificandis Hierosolymis exiret. Quomodo nunc naturaliter scire potuit, post centum annos ejusmodi futurum esse? Quomodo porro scire potuit, Christum post 7†62 hebdomades venturum, foedus plurimis confirmaturum, post decursum dimidiae hebdomadis exstirpandum esse, *coet.* cum ea omnia omnem hominis naturalem transcendant scientiam, et nisi per divinam revelationem sciri nequeant. *Edelmannus* Vaticiniis Danielis hinc etiam praesenti nostro non audet quidem quidquam opponere, ipsam tamen auctoritatem Canonicam Danielis suspectam reddere nititur, asserens: *Judaeos Danielem, dum ad* כתובים *retulerunt, a viris* Θεοπνεύστοις *separasse*. Hoc autem a *Whistono* et partim a *Spinoza* mutuo sumtum asertum nullo nititur fundamento a) *quia* Hagiographa vtique a

Judaeis

vidis esse, nemo dubitabat, et per genealogiam Christi *Matth.* I. 1. ff, et *Luc.* III. 23. ff. 78) *Luc.* I. 32. publicam genealogiae Josephi atque Mariae productionem *Luc.* II. 3. 4. 79) populi confessionem *Matth.* IX. 27. XV. 22. XXI. 9. *Marc.* XI. 10. apostolorumque praedicationem *Rom.* I. 3. 2 *Tim.* II. 8. *Actor.* XIII. 22. f. extra omnem dubitationem positum est. At vero *Messiam* ex familia Davidis oriundum, Bethlehemique nascendum, Prophetae praedixerunt 2 *Sam.* VII. 12. 9. *Ies.* XI. 1. *Ier.* XXIII. 5. XXXIII. 15. 16. *Mich.* V. 1. Vnde argumentum formabimus sequens *Tertium*: *Quicunque ex Familia Davidis, Bethlehemi natus, Messias publice manifestatus est, ille est verus Messias. Iesus Nazarenus est, cui illud praedicatum competit. Iesus ergo Nazarenus est verus Messias* 80).

§. 33.

Judaeis pro divinis et Θεοπνεύστοις habentur b) *quia* Christus ad ipsum Danielem, tamquam prophetam, et ad ipsum nostrum vaticinium, provocat *Matth. XXIV.* 15. c) *Christus* et Paulus Judaeorum in asservandis scriptis divinis fidem non modo non reprehendunt, sed laudibus etiam illustrant. d) *Nec* a Trichotomia Script. nec a nominibus, partibus additis, vllis, Librorum dependet Θεοπνευστία. e) Et si vel maxime Recentiores Judaei pro viro Θεοπνεύστῳ non reputassent Danielem, (quod tamen vlla ratione probari nequit) quid inde concludi posset, cum oppositum ex vaticiniis eorumque implementis demonstretur? *Conf.* S. *R. Frid.* WAGNERVS l. c. P. I, p. 313. et R. *Georg. Thom.* WAGNERI Edelmanns verblendete Anblicke des Moses mit aufgedecktem Angesichte * * P. I, p. 257. atque M. *Io. Georg. Pfotenhauer* l. c. P. II, pag. 472. ff.

78) Objicit quidem Auctor Examinis Matthaei a Luca differentiam quoad eam genealogiam, sed ignorantiam hoc prodit hominis: ad eam enim objectionem dudum sufficienter responsum est a Commentatoribus. Cfr. CHEMNITIVS l. c. et RVSSIVS l. c. ad h. l.

79) Hinc *Iustinus*, *Tertullianus* et *Chrysostomus* publicarum mentionem faciunt tabularum genealogicarum, quibus et Jesu nomen inscriptum esse tradunt. Cfr. Starckius l. c. ad *Luc.* II. 4.

80) Posset quoque hinc et ex *Matth.* II. vlt. indubium formari argumentum. Verum pro nostro scopo sufficiat hoc vnicum. De loco autem ipso praeter Commentatores excit. conferri meretur KIDDERVS *l. c.* p. 439. f. 1141. f.

§. 33.

Baptismum administrans in textu appellatur *Ioannes*, jam ante sui conceptionem et nativitatem Messiae Praecursor divinitus electus et ab Angelo nuntiatus iis ipsis terminis, qui in V. T. adhibiti leguntur, *Luc.* I. 17. Is baptismum ex mandato divino administravit et publice Messiae se Praecursorem professus est, *Matth.* III. 11. ff. *Marc.* I. 1. 2. ff. *Luc.* III. 1. ff. Jo I. 15 - 36. III. 28. Et ne quis dubitet, eum esse Messiae Praecursorem, Spiritu et virtute Eliae, non solum virtute ac fortitudine, in Elia quondam conspicua, 1 *Reg.* XIIX. 18. 21. populum ad poenitentiam convocavit, *Matth.* III. 7-9. 81) sed externo etiam habitu Eliae similis factus est. *Matth.* III. 4. *Marc.* I. 6. coll. 2 *Reg.* I. 8. Nunc *Messias*, a Praecursore proxime praecedente, populumque ad poenitentiam convocante, annuntiatus, manifestandus fuit *Ies.* XL. 3. *Mal.* III. 1. IV. 5. 6. Oritur hinc argumentum nostrum *Quartum*: *Quia Praecursore, Spiritu atque virtute Eliae praedito, populumque ad poenitentiam convocante, annuntiatus, Messias manifestatus est, ille est verus Messias. De Iesu Nazareno, Ioanne praecursore, manifestato, quod dictum est, valet. Iesus ergo Nazarenus est verus Messias.*

§. 34.

Non tota tantum officii sui administratione demonstravit Joannes, Jesum se longe majorem atque superiorem esse *Matth.* III. 11. *Marc.* I. 7. *Luc.* III. 16. *Io.* I. 15. ff. 23. ff. 30. seqq. III. 27. ff. *Matth.* XI. 2 - 6. sed id ipsum etiam in Textu nostro luculentissime edisserit, dum, *se omnino opus habere, asserit, vt a Christo baptizetur.* Jam Jesus dulcissimus de Joanne non profitetur tantum, quod major sit quovis alio Propheta, sed generaliter etiam asseverat, ex omnibus naturali generatione progenitis nullum esse Joanne majorem *Matth.* XI. 9. 11. 82) Inde itaque, *Iesum esse, quo nullus homi-*

 num

81) Conf. potissimum Salvatoris effatum *Matth.* XI. 14. XVII. 10 ff.

82) Jsthaec Joannis praerogativa in eo conspicitur, quod *praecursor* Redemtoris fuit, *Spiritu* et virtute Eliae donatus, *baptismum*, Sacramentum N. T., primus administravit, *ipsum* Redemtorem baptizavit, digitoque monstravit praesentem. Cfr. CHEMNITIVS et RVSSIVS *ll. cc.* ad *h. l.*

num, Prophetarum nullus, major sit, hinc Propheta quovis majorem, Prophetam maximum, consequitur. Propheta vero maximus, a Deo in N. T. *promissus est verus Messias Deut.* XIIX. 15. 18 83). *Iesum ergo Nazarenum verum esse Messiam*, vltro consequitur. *Quintum* en! pro demonstranda thesi nostra argumentum 84), quod per alia, quae suo loco videbimus, adhuc corroboratur.

§. 35.

83) Hunc locum quomodo, praeter aliquos ex Rabbinis, *Collinus, Parvishius, Wertheimiensis, Clericus* et *Hugo Grotius* corruperint, cum refutatione legas apud S. R. *Dn.* LILIENTHAL *l. c. P.* I. *p.* 549 ff. De nullo alio quam Messia Dictum explicari potest, *quia* in nullum alium quadrant, quae de futuro hoc Propheta dicuntur. Propheta vocatur, et quidem Mosi similis v. 16. Cfr. *Deut.* XXXIV. 10. additur, quod in *ejus ore* verbum sit IEHOVAE v. 18. *cujusque hinc sermonem qui non servet salutis faciat jacturam* v. 19.

84) Tanta est argumenti hujus vis, vt nec ipse *Edelmannus*, (quamvis turpiter doctrinam Christi ipsiusque miracula interpretatus sit,) singularissima dona divina in Christo conspicua fuisse, *potuerit diffiteri*, vt observat S. R. WAGNERVS *l. c* P. II. p. 427. Incidit autem ille in alium errorem, reputans: *Vnicum* finem Christi *primarium* fuisse, *vt veritatem doceret, suoque exemplo homines instrueret.* Refellit hunc errorem *Georg. Thom.* WAGNERVS *l. c. P.* II. *p.* 296 vberius in Socinianorum haeresi refutatus idem est a Theologis. Cfr. CALOVII *Socinismus profligatus pag.* 9-15. *et pag.* 374 *seqq.* QVENSTED. *Syst. Theol. Part. III. p.* 291. *seqq.* et *Georg. Lud.* OEDERVS in *Not. ad Cat. Racov. pag.* 707. *seqq.* 740. *seqq.* Auctor Examinis quoque audacissime officium Christi Propheticum aggreditur, asserens: 1) „*Non docuisse Christum nisi praecepta* „*quaedam moralia ab Ethnicis jam ante plenius tradita*, 2) *non do-* „*cuisse vllum religionis dogma, non Nativitatem suam, non Trinitatem,* „*non Sacramenta, non P. O.* 3) *Non docuisse, quis ipse sit, nec Deum* „*declaratum esse, nisi post* 400 *annos in Concilio Nicaeno.* 4) *Non* „*determinasse vllum fidei articulum, quod debuisset: Religionem Chri-* „*stianam pluribus demum post ejus mortem seculis completam reddi-* „*tam fuisse, quovis Concilio articulos fidei augente.* 5) *Nec de sacri-* „*ficiorum inutilitate homines instruxisse, quin ipse potius sacrificiorum* „*particeps factus sit.* 6) *Nec post resurrectionem populo semet mani-* „*festasse, quo tamen omnis finita fuisset disceptatio, nec Apostolos prae-* „*dicasse resurrectionem Christi, nisi post ejus ascensionem, quam praedi-*

„*care*

§. 35.

Ostendimus §. 5., *Baptistam, dum, sibi opus esse, dicit, vt a Christo baptizetur, respexisse ad flaminis baptismum, quo baptizaturum*

care debuissent, cum facta esset. 7) *Nec reliquisse pro institutione „ nostra nisi ecclesiam, h. e. pauciſſimos quosdam, eosque rationis cultu „ minus instructos, nec vllum sui reliquisse monumentum, nec vllum li- „ brum. Pergit* 8) *si per homines nos instruere voluisset Deus „ debuisse iisdem inspirationem concedere: Christum autem Apo „ stolos in erroribus reliquisse, qui et ipsi in rebus religionem attin „ gentibus erraverint postquam Sp. S. accepissent. Cfr. Examen cit.„ p. 45. 49. 53 - 55.“* Ad 1) quod attinet, quaedam praecepto „ rum moralium, quae Christus inculcavit, etiam ab Ethnicis jam tradita sunt. Sed hoc nemini mirum esse potest, qui cognoverit, dari Legem naturae, hominum cordibus inscriptam, ad cujus custodiam et omnes tenentur, et ipsa quoque Religio Christiana commovet *Rom.* II. 14. ff. III. 31. Cum autem non omnibus datum sit, Legum Nat. distinctos formare conceptus, aut demonstrationibus convincentibus eas attingere; *Sapientiae et bonitatis specimen est*, quod easdem divina sua auctoritate munitas docuerit Redemtor, vt de earum divinitate et obligandi virtute dubitare nemo possit. Ista porro praecepta cum reliquis Religionis Christianae doctrinis ita conjunxit sapientissimus Deus, vt, rationis praeceptis hanc neutiquam contrariari, evidentissime intelligi possit. In eo itaque, quod praecepta quaedam moralia docuit Redemtor, ab Ethnicis jam tradita, *summa ejus conspicitur sapientia atque bonitas*, tantum abest, vt inde quidquam ipsi, ipsiusque officio prophetico, objici possit: *immo si non docuisset, defectum cito clamitaturi fuissent Deistae.* Quod autem asseritur, *Christum nec plura docuisse nec sublimiora, quam ab Ethnicis jam fuerint tradita*, hoc est omnium falsissimum et *ignorantiam differentiae* inter officia Christianorum, et inter officia Lege naturae praescripta, vt nunc exseruntur, pariterque doctrinae moralis, *vt* a Christo, et illius, *vt* a Philosophis Ethnicis, propositа est, prodit crassissimam. Differunt autem illa ratione *principii*, *virium*, *motivorum*, *mediorum*, *perfectionis*, *finium*. Virtutes enim Christianorum oriuntur ex fide, 2 *Petr.* I. 5. viribus gratiae concessis *Io.* VI. 29. 65. XIV. 6. 1 *Cor.* XII. 3., mediis a Deo constitutis, Verbo 1 *Petr.* I. 22. 23. et Sacramentis, *Tit.* III. 5. ff. 1 *Cor.* XI. 23. ff., motivis ex gratia desumtis *Rom.* XII. 1. et cum propter imputatam sanctitatem Christi, *Eph.* I. 4. ff. II 10 cum propter sanctitatem fidelium ex Renovationis gratia derivatam *ll. cc.* 1 *Pet.* II. 1-10.

rum esse Messiam praedixerat, et, nunc eundem adesse, eo ipso indigitasse.

II. 1-10. Deo placent, finemque habent gloriae divinae illustrationem *Phil.* I. 11. *Eph.* I. 12. ff., hominisque aeternam salutem, *Ebr.* XII. 14. 2 *Petr.* I. 5-11. quae omnia ab officiis Lege naturae praescriptis, vt nunc praestari possunt, remota sunt, cum corrupta per peccatum natura non possit non adversari bono spirituali *Rom.* IIX. 7. 8. hinc officia Lege Nat. praescripta implere nequeat, doctrinaque Legis naturae moralis, solo naturae lumine cognita, per carnem infirmata sit Rom. IIX. 3. Redemtorem autem praecepta moralia longe perfectiori modo tradidisse nemo ignorare potest, qui vel solam Christi doctrinam *Matth.* V. VI. VII. respexerit: ibi enim desiderium virium spiritualium, fidem, sanctificationem cordis, requirit, observationem legis ad internam cordis sanctificati directionem refert, abnegationem sui ipsius, fiduciam in Deum, amorem erga proximum, preces rite instituendas, luctam carnis et Spiritus, cultus interni cum externo conjunctionem, aliaque plurima postulat. Quae omnia ita comparata sunt, vt homo sibi soli relictus eadem, non queat proponere, multo minus perficere. Praeterea Redemtor Dei summam perfectionem, sui imitationem, vires ex regeneratione petendas, gratiam fide obtinendam, aliaque innumera distinctissime docuit *Matth.* V. 48. *Io.* XIII. 34. III. 3. ff. 16. ff. Tandem non ista omnia tantum proposuit, sed et virtutem divinam cum mediis nostrae salutis conjunxit, vt effectus supernaturales produci queant, *Ies.* LV. 10. ff. *Rom.* I. 16. *Io.* VI. 63. quod in moralibus etiam optimis hominum sibi relictorum deficit. Ipsa autem doctrina moralis Ethnicorum dubitationibus, contradictionibus, falsisque de Deo, ejus providentia, animarum immortalitate *coet.* conceptibus scatet. Revelatio autem, et hinc doctrina Christi moralis, ea cuncta adeo certo et firmiter docet, vt vniversali hominum convictioni sufficiat plenissime. Qua 2) verum est, quod non docuerit *ipse* Redemtor mysterium nativitatis suae, at docuit per Apostolos et Evangelistas: et, quid opus erat ab ipso doceri, cum praesto esset Maria, ipseque Redemtor, et facta circa nativitatem ejus miracula nemini essent obscura *Luc.* II. 9. f. 17-20. *Matth.* II. 1. f. Nati autem Jesu Magnalia in templo publice decantata *Luc.* II. 28. 38. Reliqua, quae hoc num. *A. Ex.* dicit, sunt longe falsissima. Licet enim in V. jam T. mysterium Trinitatis sufficienter propositum *Gen.* I. 1. 2. *Ps.* XXXIII. 6. *Es.* XLIIX. 16. VI. 3. *Num.* VI. 24. ff. *coet.* in baptismo Christi distinctissime manifesta-

tuſſe. Suppeditat hoc *Sexti* pro theſi noſtra argumenti principia. Nimi-

niſeſtatum (§.17.) et in eccleſia Judaica non incognitum fuerit: omnino tamen idem diſtinctiſſime docuit Chriſtus *Io.* V. 17 19. ſeqq *Luc.* XI. 13. *Matth.* XII. 28. 32. *Io. X.* 29. 30. *XIV.* 6. ſſ. 16. 17 ſſ. *XV.* 26. XVI 7. ſ. 13. ſeqq. Matth. XXIIX. 19. Docuit Sacramenta, ipſe eadem inſtituens ſalutis media, ſuisque Apoſtolis et Diſcipulis diſpenſanda jubens *Luc.* III. 2. 3. *Matth. XXVI.* 26. *XXIIX.* 19 doctrinam de P. O. quamvis ex V. T. jam ſatis cognita debuerit eſſe *Gen.* V. 3. VI 5. IIX. 21. *Iob. XIV.* 4. *Pſ. XIV.* 2. 3. LI. 7. *coet.* ſtrenue inculcavit *Io.* III. 3. 5. 6. VI. 6 3. 65. *XIV.* 6. *Matth. XV.* 19. Quoad 3); illud iterum eſt falſiſſimum. Nam a) *Chriſtus*, ſimulac officium ſuum publicum inierat, in ſe impletum eſſe vaticinium *Ieſ.* LXI. 1., publice docuit *Luc.* IV. 16. ſſ. ſe eſſe Meſſiam, profeſſus eſt *Io.* IV. 26. *Matth. XXVI.* 64 *Luc. XXII.* 67-70 *Io. X.* 22-25. profeſſi ſunt Apoſtoli *Io.* VI. 69 *Matth.* XVI. 16. *Martha Io. XI.* 27. et populus *Io.* XII. 12. 13. 34 et ita abunde et ſufficienter profeſſus eſt Jeſus, vt ſatis ſuperque noſſent maledici ipſi *Luc.* XXIII. 2. 35. 39. et ἀναπολογήτοι facti ſint Judaei infideles *Io.* XV. 22. Eadem ratione b) profeſſus eſt, ſe eſſe Deum, Dei filium *Jo.* I. 49. V. 17-19. IX. 35 ſ. X. 29-38. XI. 27. *Luc.* XXII. 70. Cumque hanc veritatem mille locis aliis tam V. quam N. T. inculcent S. Literae, falſiſſima ſunt, quae de *Concilio Nicaeno* garrire non ſerubeſcit, *A. Ex.* cum potius palam ſit, *nil quidquam egiſſe Patres Concilii, quam vt Script. S. contra Arii ejusque aſſeclarum errores* ſartam tectamque ſervarent. *Qua* 4) illud nuda eſt iterum calumnia: quod partim per adducta patet, partim per omnem Script. paginam et per ſumma articulorum fidei capita eundo demonſtrari poſſet, ſi quae ad 2) dicta ſunt, mendacem jam non maniſeſtarent Deiſtam. Quae de numero Articulorum fidei aucto dicuntur, ea ejusdem farinae ſunt, atque ea, quae de Patribus Nicaenis dicta ſunt, praetereaque craſſiſſimam Hiſtoriae Eccleſiaſt. ignorantiam produnt: haec enim teſtatur, vllo in Concilio Orthodoxae Eccleſiae non ſtabilitum eſſe dogma, *niſi quod ab Haereticis impugnatum, ex clara Scripturae litera reſtitutum et haereſi oppoſitum* fuit, additis ſimul *argumentis* heterodoxorum hypotheſes refellentibus. Nihil quidquam E. per illa Concilia ſtatutum eſt, quo Religio Chriſtiana redderetur *completa*: omnis potius Patrum in eo verſatus eſt labor, vt complementum, quod per Script. S. obtinuit illa, ſervaretur intemeratum: nec hodie vllum dogma ad Religionem Chriſtianam requiritur praeter ea, quae in Script.

Nimirum: non Baptista tantum praedixerat *characterem illum Messiae* *Matth.*

Script. S. continentur, sed id tantum agitur, vt sensui Script. S. cuncta conformiter teneantur, et ab haeretica depravatione serventur incontaminata. *Quoad* 5); cum alia, ac in V. T. erant, Sacramenta institueret Redemtor, quid hoc est quam priorum abrogatio? Dum ipse sacrificiorum antitypus aderat, praesente autem antitypo typus abrogatur; quae desideraverat Deista, praesto *sunt*. Cfr. *Hebr.* IX. 10. X. 9. s. Quod autem ipse Christus fructus sacrificiorum particeps factus sit, hoc falsissime dicitur, nec potest vnquam probari, quod sacrificium Leviticum obtulerit: *Quod* enim ex *Luc.* II. 22 seqq. affertur, hoc ad Parentes Christi referendum est non ad ipsum. Nec probari potest, quod discipulis offerendum sacrificium mandaverit. Jussit in omnem orbem Evangelium praedicandum nulla facta Sacrificiorum mentione, quae nec alibi ac in templo Hierosolymitano offerenda erant, vrbem autem, vna cum templo, destruendam praedixit. Caeterum et hoc observandum: Cum per mortem Redemtoris Sacrificiorum valor demum cessaret; tum demum instruendi fuerunt fideles N. T. de Sacrificiorum totinsque cultus Levitici cessatione. At hoc vberrime factum est ab Apostolis, *Act. X.* 28. *XIII.* 38. 39 *XV.* 5. ff. *Rom. X.* 4. *Gal.* III. 24. 25. *Eph* II. 14. 15. *Col.* II. 16. *Hebr.* VII. 11. IIX. 6. IX. 8. *X.* 9. *Cfr.* contra *Edelmannum*, eadem fere garrientem, disputans PFOTENHAVERVS *l. c. P.* II. *p.* 272. *ff. quod* 6) dicitur, temerarium est. Nullo enim modo demonstrari potest: *si populo semet Christus post resurrectionem vivum ostendisset, disceptationem futuram fuisse finitam.* Interim, cui placuerit, rationes, cur populo se non ostenderit Redemtor, divinando attingere, evolvat CHLADENII *Comment.* de *hostibus Servatoris resurrectionis ineptis testibus*, et FEVERLINI *Progr.* de *Jesu resuscitato ab hostibus viso, a solis familiaribus recognito, quod* utrumque Scriptum Collectionis *Disput. Theol.* quae Vinariae prodiit A. MDCCLV. Fasc. II. insertum legitur. Sufficit nobis, ex sapientissimis rationibus factum ita non aliter esse. *Quod*si enim praestitisset, Christum populo post resurrectionem vivum manifestari, illud vtique factum fuisset. At posterius est falsum; E. Prius. Deus optime novit, quid faciendum sit in iis, quae ad Christum ejusque Regnum spectant, nec hominum in hac causa est judicium. Exemplum exstat *Act. XXII.* 18-21. Non aliter se habet alterum, quod Deista objicit: *resurrectionem Christi ab Apostolis non esse praedicatam nisi post Spiritus S. effusionem*, cet. *Quisque* rem ipsam ponderans inveniet,

Matth. III. 11. *Marc.* I. 8. *Luc.* III. 16. *ſed ipſa etiam Script. S. V. T. hoc ipſum criterium proponit. Ieſ.* XLIV. 3. *Ioel* III. 1. *Zach.* XII.

inveniet, quod infideles reſurrectionis Chriſti teſtes habuerint eos ipſos, quos ſecundum vaticinium *Ieſ.* LIII. 9. ſepulcro Chriſti dederant cuſtodes *Matth.* XXIIX. 11., quibus fidem non poterant non habere propter eximiam, qua in iis conſtituendis, adhibendisque cautionibus, vſi fuerant, curam *Matth.* XXVII. 62. 66. Quid ergo agunt? Conveniunt, mendacia excogitant, eademque cuſtodibus ſuggerunt *Matth.* XXIIX. 12 15. nec tamen impedire poſſunt, quo minus innoteſcant facinora v. 15. Numquid credibile eſt, hos adeo pervicaces apparitiones Redemtoris publicas non traducturos fuiſſe quibusvis inſanae mentis mendaciis potius, quam vt Redemtorem vivum profeſſuri fuiſſent eum, qui apparuiſſet? Sane longe efficaciſſima fuit populi convictio, cum *reſurrectionis Chriſti teſtes* Spiritu divino repletos, *praedicationem reſurrectionis Chriſti* miraculoſa Spiritus S. effuſione confirmatam, ipſosque, qui eandem fide ſuſcipiebant, *miraculorum dono ornatos* cerneret. Quoad 7) hoc non nobis ſed ipſi oppoſitum eſt Deiſtae. In eo enim, quod teſtes conſtituit Redemtor homines ſcientiarum humanarum non peritos, firmum potius contra calumnias Deiſtarum deprehenditur praeſidium, cum certiſſime inde pateat, non eſſe, quam Apoſtoli praedicarunt, religionem, *humanae rationis inventum*, ſed *ſolo illos Spiritu divino* actos nunciaſſe viam ſalutis per *ſolum hunc Ieſum* obtinendae, cui, quod jure opponerent, non habebant ipſi Chriſti hoſtes *Actor.* IV. 8.-16. Quod autem addit: non reliquiſſe Chriſtum *vllum librum*, nec *vllum ſui veſtigium*, in eo *primum*, certo modo verum eſt. Libros non conſcripſit *ipſe Ieſus*, qui enim ipſi tribuuntur, ſuppoſititios eſſe conſtat. At, cujus, quaeſo, virtute, ex cujus mandato, Spiritu, inſpiratione, ejus Apoſtoli Scripta illa conſignarunt, quae tanta vi atque efficacia pollent, tantoque ordine res adeo ſublimes, omnemque rationis finitae captum longiſſime tranſcendentes tradunt? Numquid negari poteſt, Chriſtum ipſis dediſſe Spiritum, S. quo duce haec ſcripta ſunt? *Io.* XVI. 13 - 15. Alterum eſt longe falliſſimum. Effuſio enim Sp. S. *totius* terrarum orbis de Chriſto et via ſalutis informatio, *Eccleſiae* conſtitutio, *ejusque* contra inſanos hoſtium inſultus conſervatio potentiſſima et contra inferorum portas obfirmatio ad hunc vsque diem, et infinita alia: haec, inquam, quae Chriſtus reliquit ſui veſtigia, num ſunt omnino nulla? Tanta omnino ſunt, vt contra nihil valeat hoſtium quorum-

10. 85) *Quamvis* enim in his locis non habeatur nomen Messiae, res ipsa tamen, de Messia sermonem esse, docet. Nam 1) *per Spiritus S.* effusionem conferenda erant, secundum vaticinium *Ioel.* et *Zachar.*, dona Spiritus, donum Prophetiae, Miraculorum, et Precum. Ea vero dona sunt illa ipsa, quae Sionis lugentibus conciliaturus daturusque nuntiatur Messias *Es.* LXI. 1. 2. 3. *coll.* XI. 2. 9.

rumcunque furor. Quod 8) objicit, *factam non esse inspirationem*, omnino falsissimum, vllo modo probare nequit *a)* Namque provocat ad obscuritatem fictam, quae a nobis supra et dudum a Nostris contra *Pontificios* ex 2 *Petr.* III. 16. 2 *Cor.* IV. 4. refutata est. *b)* ἀνθρωποπαθῶς in Scriptura dicta contra omnem rationem proprie explicat, et deinde calumniatur, *c)* Contradictiones nullibi probatas objicit, aliaque futilissime dicta et millies jam refutata recoquit. Interim in his ipsis repetendis etiam *Auctor* A - X. in iisdem et *Edelmanni* objectiones maxime haerent. *d)* Objectus *Petri error in facto* ipsam doctrinam Evangelii non tangebat, sed solam externam Neo - Christianorum conversationem *Gal.* II. 12. rem in se indifferentem, in quibus cum ita versandum sit, ne discordia oriatur vel offendiculum, *Rom.* XIV. 14. ff. 1 *Cor.* IIX. 9. jure monuit Petrum gentium Apostolus, atque vt fidei Vnitas ita in praxi concordia manst. Cum itaque haec in cassum objicit Deista, ita mendax Scriptores Sacros, se ex inspiratione scripsisse, professos esse, adversus claram literam. 1 *Cor.* II. 13. 2 *Tim.* III. 16. 2 *Petr.* I. 21. *Hebr.* I. 1. 1 *Thess.* II. 13. *al.* negat.

85) Dictum vtrumque ex *Ioel.* et *Zachar.* citatum de corporalibus beneficiis explicare voluisse *Parvisium*, discimus ex S. R. LILIENTHAL *l. c. p.* 733. 894. eidem brevissimis simul occurrente. Effusio Sp. S., filiorum filiarumque vaticinatio, corporalium beneficiorum ideam non admittunt. Quid porro in exegesi magis absurdum cogitari potest, quam per metaphoras et allegorias explicari, quae propriissime jam impleta sunt. *Actor.* II. 16. ff. vbi simul locus Joelis expresse excitatur. Hoc quoque in vaticiniis allegatis notandum est, quod in iisdem Spiritus S. effussio aquis effusis, hinc baptismo, assimilatur. Cfr. S. R. LILIENTHAL *l. c.* p. 733. SCHMIDIVS in Jes. p. 384. et CAMP. VITRINGA in Jes. P. Post. p. 773 seqq. Locum Zacharianum adversus *Collini* et *Grotii* interpretamenta vindicavit S. R. LILIENTHAL *l. c.* p. 942. ff. Praeter locos a nobis excitatos in hac materia legi possunt quoque *Ies. XXXII.* 15. LIX. 21. *Ezech. XXXIX.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn840951965/phys_0082
DFG

2. 9. 86) 2) *Expreſſe* in his dictis ita deſcribitur, qui Spiritum S. effundere promittit, vt nemo niſi Redemtor eſſe poſſit. 87) Meſſias vero et ipſe Redemtor eſt *Eſ.* LXI. 1. *coll.* LX. 16. 22. Tandem 3) Meſſias eſt Deus, aeternus Rex *Pſ.* XLV. 7. 8. eſt Deus reguans *Pſ.* LXIIX. 29. eſt Deus captivum ducens carcerem, donaque hominibus impertienda impetrans *Pſ.* LXIIX. 19. Dona autem impetrata, Spiritus S. effuſione diſtributa ſunt, vt ſupra dictum. Eundem itaque, qui Spiritum S. effundere ſeu Spiritu S. baptizare *loc. ex Ioele, Ieſaia et Zacharia cit.* dicitur, eſſe Meſſiam in V. T. promiſſum, intelligitur. De igne quidem ſpecialiter agere vix opus videtur, cum ſymboli ſolummodo habeat rationem, quo ſuperveniens Apoſtolis vſus eſt Spiritus S. Caeterum etiam hunc characterem in V. T. praenuntiatum eſſe loci *Pſ.* L. 2. 3. XCVII. 3. *Ieſ.* X. 16. 17. LXVI. 15. 16. evincunt, et ſane in ſolo Joelis loco v. 3. ſubſiſtere poteramus.

86) Notandum eſt, in loco Jeſaiano expreſſe nuncupari *Oleum Laetitiae*: et, cum terminus hic complexus praeterquam in h. l. non occurrat niſi *Pſ.* XLV. 8., ibi autem *Spiritum S. cum ſuis donis* notet; quin idem ſignificatus hic adhibendus ſit, dubium eſt nullum. Quare etiam *Vinarienſes* ita explicarunt, et quamvis alii aliter interpretentur, vid. *Vitringa* et *Schmidius ll. cc.* ad *h. l.* non tamen illum ſignificatum excludunt. Sane, lugentibus Sionis a Meſſia dandum oleum laetitiae eſſe Sp. S., Salvatoris promiſſum *Io.* XIV 16. 17. 26. XV. 26. XVI. 13. 20 - 22. et ipſe eventus *Io.* XX. 19. 22. *Actor.* II. 1. ſ. abunde docet.

87) Is enim, qui Spiritus S. effuſionem promittit, eſt a) *verus* Deus *Ioel.* II. *vlt.* III. 1. 5. *Ieſ.* XLIV. 2. *Zach.* XII. 1 - 4. ſſ. b) *Redemtor Ieſ.* XLIV. 6. 8 22 c) *Is, quem fide* vera receperunt fideles, quemque vt verum hominem a reliquis perfoſſum doluerunt *Zach.* XII. 10. d) *cujus* eſt Spiritus, qui effundendus promittitur. *ll. cc.* Ea cuncta in Jeſu Nazareno exacte impleta leguntur in N. T. Promittit enim is Spiritus S. effuſionem, *Io.* XV. 26 *Actor.* I. 1, ſſ. *Luc.* XXIV. 49. *Marc.* XVI. 17. Eidemque competere praedicatum ex Vaticiniis V. T. allegatum *primum*, *Io.* I. 1 - 18. ſſ. aliisque ſupra cc. ll. *ſecundum*, *Io.* III. 16. IV. 42 *Luc.* II 30, *tertium*, *Io.* VI. 68 96. XIX. 34. 37. XVI. 20. ſ *Luc.* XXIV. 17. *quartum*, *Io.* XV. 26. XVI. 13 - 15. *Actor.* II. 33. *Gal.* IV. 6. diſtinctiſſime docetur.

mus. 88) Dabimus tamen experimenti loco explicationem loci ex *Ies.* LXVI. cit. Patet ex v. 12. 18-20. sermonem esse de apparatu, quo praedicatio Euangelii vniversalis instauranda, quo manus Dei in servis ejus cognoscenda, sit v. 12 - 14. Et principium illius cognitionis et convictionis ponitur ignis, quo venturus sit Dominus v. 15. 16. Nunc iste apparatus omnino sistitur effusione Spiritus S. *Ioel* III. 1. 5. istum itaque ignem, de quo Propheta loquitur, ad idem tempus referri, consequitur. 89) Firmabitur itaque tota Propositio Major *Sexti* nostri argumenti: *Quicunque baptizat Spiritu S. et igne, is est verus Messias. Subsumtionem suppeditavit Baptista de Iesu Nazareno, et eventus comprobavit Actor.* II. 1. ff. *vnde, Iesum Nazarenum esse verum Messiam*, concluditur 90).

§. 36.

88) Quamvis enim non opus esse judicemus, cum *Rev. Dno.* BEAVSOBRE in *Continuat. meditationum* SAVRIN. vid. Jac. Saurins Betrachtungen über die wichtigsten Begebenheiten A. u. N. Tsts. Th. III. *pag.* 888. seq sonum venti vehementis *Act.* II. 2. per fulgura & tonitrua explicare: Ioelis tamen vaticinium, *quousque sermo est de igne* v. 3. eoque, vt expresse dicitur, miraculoso, flammulis igneis in Apostolis conspicuis vere impletum esse, concedendum est.

89) Equidem b. IO. GERHARDVS illum locum de judicio extremo explicat: verum ipse contextus docet, exponendum esse Domini judicium per ignem, de quo v. 16. sermo est, de judicio, quod fit per verbum, de judicio elenchtico Spiritus Io. XVI. 8-11. quod et ipso die Pentecostes manifestabatur *Act.* II. 36. 37. et deinde *Act.* IV. 10-12. 19. 20. V. 28-33. et porro saepissime *testibus Act. Apostol. plur. loc.* BRENTIVM, qui idem nobiscum sentit, cum GERHARDO conciliare voluit SEB. SCHMIDIVS *Comment. cit.* ad *h. l.* Nostram autem interpretationem firmat v. 18. distinctissime de temporibus initii N. Tti. loquens, vt nonnisi per gratis assumtas hypotheses ad futuram adhuc vniversalem conversionem referatur a STARCKIO *in Synopsi Bibl. Exeget.* et *Berlenburgensibus* ad *h. l.*

90) Adeo firmum est hoc argumentum, vt nil nisi generalia quaedam et futilissima figmenta adversus illud afferre potuerint Deistae. Enthusiasmi viros divinitus actos arguere non erubescunt: quasi vero Enthusiasmus inferret linguarum exoticarum scientiam, linguarum nunquam humana doctrina haustarum interpretationem

§. 36.

Asserit Baptista, quod baptismo poenitentiae non indigeat Jesus, et eo ipso ab omni peccato immunem esse docet. Jam hic est veri Messiae character in V. T. traditus, a) *Iesaiae* LIII. 9. 11. b) *Ps.* XLV. 8. c) *Iesaiae* IX. 7. d) XI. 1. 2. e) *Ps.* LXXXIX. 15. 19. f) *Iesaiae* V. 24. g) XII. 6. h) XXX. 11. 12. 15. i) XLIII. 3 k) XLV. 11. l) XLVII. 4. m) XLIX. 7. n) LIV. 5. o) LV. 5. p) LX. 9. 14. q) *Dan.* IX. 24. *caet.* 91) Exstruitur ergo inde Argumentum nostrum *Septimum*: Quicunque *verus homo*, (post lapsum, indeque, naturali generatione, ad omnes Protoplastorum posteros, naturaliter ab ipsis descendentes, propagatum peccatum) *sanctissimus et ab omni peccato immunis est, is est verus Messias*: Quae quidem propositio major cum hac altera conjungi potest: Quicunque homo baptismo, postquam gratiae medium a Deo constitutus est, non indiget, ille est verus Messias. Jam Jesus Nazarenus est sanctissimus et ab omni peccato immunis 92) baptis-

nem, aegrotos nudo verbo, sola manuum impositione, sanandi virtutem, aliaque innumera in Apostolis conspicua. Miserrimam esse hanc *Auct. Ex.* objectionem, prouti haec adducta liquido evincunt; ita miser homo Enthusiasmi Characteres explicaturus et ad Scripturam applicaturus solam iterum obscuritatem vrget, cui quidem dubio jam supra occurrimus, cuique removendo planissimus, in Petri, in ipsa effusione Sp. S. habito, sermone, vt in omnibus Scriptis Apostolicis, obvius stylus, abunde sufficit.

91) Evidens est, excitata Dicta de Messia agere. Quantum enim ad Dicta *b e. q.* attinet, contextus expresse nuncupat Messiam (§. 31) Cum porro Messias sit Redemtor *Es.* LXI. 1. *col.* LX. 16, in Dictis *i. k. l. m. n. p.* de Messia sermonem esse, certum est. Messias vero Redemtor est eo, quod piaculum pro nobis se dedit, hinc Dictum *a.* de Messia agit. Messiae gentes dandae fuerunt in haereditatem, justitia eas gubernaturo *Ps.* II. 8. ff. adeoque loca *c. d. f. g. o.* et propter locum Parallelum *Ps.* II. 12. etiam dictum *h.* de Messia intelligi debent. Conf. ad dicta ex *Ps.* allegata *Geierus* et *Dauderstadius* ad *ll. cc.* ad dicta ex *Iesaia* cit. *Schmidius*, *Vitringa*, *Vinariensis* et *Starckius ll. cc. ad ll. cc.*

92) Praeter ea, quae §. 6. dicta sunt, cfr. *Io* III. 46. XV. 25. XIIX. 38. XIX. 4. 6. *Matth.* XXVII 24. *Io.* XIV. 30. Maximopere autem hic notanda est ἀναμαρτησίας Christi ἕξοχὴ. Non ea enim solum

baptismoque poenitentiae non indiget. 93) Jesus E. Nazarenus est verus Messias 94).

§. 37.

solum Redemtori competit a peccato immunitas, quae, vt in homine integro, Angelis, et coelitibus, omne tam originale quam actuale peccatum excludit: sed ea etiam, quae omnem, quomodocunque conceptam, etiam absolutam peccandi possibilitatem simpliciter negat. Est enim Redemtor Sanctus Sanctorum *Dan.* IX. 24. Filius Dei (§. 18.) qui quippe humanam in suam hypostasin assumtam naturam perficit et complet, vt, quicquid agit illa, non agat ex propria subsistentia, quam quippe non habet, sed subsistentia et personalitate Filii *Dei*. Quemadmodum itaque impossibile est, Deum peccare, ita Jesum hominem peccare, simpliciter repugnat,

93) Argumento huic nihil opponere possunt Deistae, quousque contrarium non ostendunt, quod numquam poterunt. Et si quid vmquam improbi in vita Christi calumnientur (vid. Thom. STACKHOUSE Vertheidigung der biblischen Geschichte, = = Th. VI. p. 721.) frustra tamen fugillare viperas illas, partim ex dictis num. praec. partim ex infra dicendis patet.

94) Possunt etiam plura ex effato Joannis elici consectaria, si rationes respiciantur, cur baptismo Christus non indigeat, *quia* scil. ipse est *Auctor* baptismi et *causa* meritoria omnium bonorum spiritualium atque coelestium, quae nobis in baptismo conferuntur. Nos autem in his subsistimus, ob methodum respiciendi ad characteres Messiae in V. T. expositos, aliquot, quae considerari hic poterant, consectaria infra ponderaturi: non possumus tamen non, hic observare, S. R. KOECHERVM *l. c.* §. XIII. dona sanctificantia, et §. XXIV. dona administrantia *per baptismum accepisse Christum*, sine ratione statuere, Baptismus enim est *lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus S. Tit.* III. 5. hinc Christus, cui regeneratio et renovatio Spiritus S. non convenit, non potest dona *sanctificantia* per baptismum obtinuisse. Omnis porro efficacia baptismi, vis regenerandi, donaque spiritualia nobis conferendi, est a Christo *ejusque merito*. Non potest ergo baptismus eidem dona illa contulisse, cum virtutem nobis ea conferendi ab ipso habeat. Quod ad dona administrantia spectat; iis conferendis baptismus non est institutus, nec Christus a baptismo, sed ab *vnctione Spiritus S.* habet jam ab vtero matris, illa dona, quoad κτῆσιν, quamvis χρῆσις non accesserit, nisi postquam, non *ante* baptis-

§. 37.

Responsio, quam Joanni Christus dedit, dum ἄφες, inquit, ἄρτι· οὕτω γὰρ etc., aliud praebet argumentum. Neutiquam his verbis Salvator reprehendit Joannem, qui Christum baptismo non indigere dixerat, sed potius hoc confirmat, docet tamen, baptizandum semet esse ἄρτι, nunc, ex officii scil. ratione, non *pro se* quidem, sed *pro aliis*, idemque probat ex eo, quia omnis ipsi justitia sit implenda, quae itaque justitiae impletio pariter non potest alia esse, quam pro aliis, nimirum hominibus, praestanda. Qui vero pro hominibus omnem justitiam implere debet, est Redemtor: Redemtor autem est Messias, vt supra probatum est; Messias itaque est qui pro hominibus omnem justitiam implere debet. Eum et ipsum ejus characterem exhibet Script. V. T. Namque non modo Ps. LXXXIX. in ipsius justitia gloriaturi dicuntur fideles, v. 17. et ipse in sinu suo portare dicitur ignominiam servorum hostiumque v. 51. 52. 95) sed etiam de ipso nuntiatur, quod *justitia replererit Sionem Es.* XXXIII. 5. quid? quod? *Dan.* IX. 24. 96) praedicitur, *quod adventu Messiae peccatum consummandum, delictum obsignandum, iniquitas expianda, et*

baptismum, non *in* baptismo, sed *post* baptismum, publice *ad officium* erat inauguratus. Baptismum itaque Jesus non *pro se*, sed *pro nobis* subiit.

95) Habentur quaedam, haec illustratura, apud *Geierum*, *Dauderstadium*, *Vinarienses*, pro diversis tamen Psalmi partibus in diversa euntes. Nos iis adstipulamur, qui in his vltimis verbis Messiam in infimis passionibus constitutum audiunt loquentem. Conf. *Starckius l. c. Obs.* a) Sic omnia plana sunt et perspicua.

96) Conf. GEIERVM l. c. *Consummari* peccatum dicitur, quoniam per Messiam ejus vis, valor, reatus, sublata sunt *Hos.* XIII. 14. 1 *Cor.* XV. 54. *Obsignatum* est delictum, quia Deus per Christum fide apprehensum ejus non vult meminisse. *Expiata* est iniquitas, quia piaculum pro nobis semet obtulit Messias *Es.* LIII. 10. et λυτρω posito nos redemit 1 *Petr.* I. 18. 19. *Justitia* autem aeterna, aeterni valoris, infiniti meriti adducta est per Redemtoris obedientiam activam et passivam Rom. IIX. 3. Gal. IV. 4. III. 13. Hebr. IX. 12. 2 Tim. I. 10. Jes. XLV. 17. qua omnem implevit justitiam, et eam, quam lex, vt *actionum norma*, postulabat,

et aeterna justitia adducenda sit. Firmabitur inde major Propositio *argumenti* nostri *Octavi*: *Qui pro hominibus omnem implet justitiam, ille est verus Messias.* Subsumtionem de *Iesu Nazareno* exhibet textus noster pro inferenda nostra thesi 97)

§. 83.

labat, et eam, quam, a transgressoribus, legis *ad poenam obligatio* exigebat: et eam, quam justitia divina *legislatoria*, et eam, quam justitia divina *punitiva* flagitabat. *Notandum denique est*: Cum per satisfactionem pro nobis praestitam Redemtor sit Messias; Majorem, quam in argumento constituimus, aequipollere huic: *Qui pro hominibus Deo Satisfactionem praestitit, est verus Messias, seu, Qui hominum est Redemtor, est verus Messias.* Quibus propositionibus sumtis pro majoribus, pari ratione fluit conclusio.

97) Gravissimo huic argumento enervando omnes nervos intendunt Deistae, mox contra majorem, mox contra minorem insurgentes, infausto successu. Videamus vtrumque. I) Propositio major supponit, Satisfactionem, justitiae divinae pro hominibus necessario praestandam fuisse: quo sc. non posito nec opus fuisset Redemtore. Illam itaque necessitatem labefactare conantur Deistae. *Edelmannus* quidem et *Auctor Exam.* quia vterque, vt vidimus, dari peccatum, in respectu ad Deum, negat; reconciliationem cum Deo admittere nequit vterque. Et Auct. A-*X.* secundum adducta sua principia, non potest non redemtionis necessitatem negare. Quoniam autem hos errores supra refutavimus, eo ipso etiam falsa, quae inde fluunt, consectaria concidunt. II) Propositionem minorem audacissime aggreditur Edelmannus, 1) *nudum* hominem Jesum dicit: In ea autem removenda calumnia deinceps versaturi sumus. Consideramus jam potius alterum 2) Jesum enim Nazarenum etiam nuncupat Messiam, destructorem peccati, Redemtorem et Salvatorem, eo tamen turpissimo sensu, quod dicat, Christum doctrina sua omne sustulisse peccatum, nullum dari peccatum docuisse, homines-que a superstitione et religione liberasse. Vid. Ejusdem Begierde * * pag. 37. 38. et Glaubens Bekäntnis pag. 101. 168. 215. vbi idem impudentiori etiam modo repetit. Quam vero ista sint nefande dicta, Script. S. testis est. *Expresse Christus docuit*, se non venisse vt *dissolvat* legem, *sed vt* impleat *Matth.* V. 17. Peccatum ex corrupta hominis natura proficisci, hominemque immundum coram Deo sistere *Matth.* XV. 18. *Marc.* VII. 21-23. primam originem a diabolo habere *Jo.* IIX. 44 in sui servitutem rapere *Jo.* IIX. 34. in transgressione praeceptorum divinorum

§. 38.

Dicto audientem deprehendimus Baptistam, postquam Christi receperat institutionem. Concludendum jam inde nobis fuit (§. 12.) Joannem convictum fuisse, quod *Iesus sit is, qui consiliorum divinorum*

rum consistere *Matth.* XXV. 3. dari peccata remissibila et irremissibilia *Matth.* XII. 32. seqq. *Marc.* III. 28. Jesum Christum rejicientes peccata gravissima committere *Jo.* XV. 22. eos, qui sancti sibi videntur sine Redemtore, manere in peccatis *Io.* XI. 41. dari gradus peccatorum *Io. XIX.* 11. Maleficos Christi participes non esse sed in aeternum damnari *Matth.* VII. 23 *XXV.* 41. Spiritus S. *porro* officium etiam in Elencho peccati posuit *Io. XVI.* 8. 9. Credentibus in ipsum peccatorum remissionem nuntiavit *Matth.* IX. 2. seq. *Luc.* V. 20. VII. 47. seqq. *Marc.* II. 7. nonnisi fide in ipsum a peccatis dari liberationem *Io.* XII. 21. 24. Sanguinem suum in remissionem peccatorum effundi *Matth.* XXVI. 28. precibus remissionem peccatorum a Deo obtinendam docuit *Luc.* XI. 4. ministerium remissionis peccatorum instituit *Matth. XX.* 23. Haec talia, quaeso, qui docet, num nullum dari peccatum dicit? Eandem etiam hanc doctrinam Apostoli atque Discipuli Christi curatissime tenuerunt vt vbique Acta et Epistolae Apostolorum testantur. *Spargunt itaque apertissimas calumnias Deistae: ex quibus quid de reliquis* eorum figmentis sentiendum sit, manifestum est. *Vtique liberavit* homines a superstitione Redemtor, dum falsam Judaeorum arrogantiam in eo, quod Abrahami filii sint, *Io.* IIX. 39-42 et quod externe, neglecto interno Dei cultu, cultum Leviticum observent, in eoque solo externo cultu salutem inveniri sibi persvadeant *Matth. IX.* 13. *Marc.* XII. 33., rejecit. Quod autem a religione homines liberaverit Redemtor, manifestum est mendacium. Expresse postulavit Christus justitiam a Pharisaica alienam illaque meliorem *Matth.* V. 20. Veram in ipsum fidem *Io.* VII. 37. 38. amorem Dei et proximi *Io. XIV.* 23. V. 23. *Matth. XXII.* 37 - 40. *Io.* XIII. 34. 35. abnegationem sui ipsius *Matth.* V. seqq. XVI 24 *Marc.* IX. 43. ff. mentem ab hypocrisi alienam *Matth.* VI. 16. VII. 5. *XXIII.* 2 - 6. 13 - 16. 23 - 29. et in fide constantiam *Matth. XXIV.* 13. *caet.* Quae quidem omnia abunde docent, quod nonnisi mendaciis religionem ejusque principia oppugnare possint nugatores Deistae. Comprobat hoc etiam *Auctor Examinis* quatuor potissimum afferens rationes, cur, Jesum fuisse Redemtorem, neget 1) *Quia repugnet, esse mediatorem*

rum particeps intimeque gnarus sit. Et ipse Baptista hanc nostram conclusionem confirmat *Io.* I. 18. Nunc is ipse est character *Sapientiae* illius *hypostaticae*, quae eminentissimis et soli Deo competentibus praedicatis describitur *Prov.* IIX. 12. 14., quamque non aliam

rem inter Deum et homines, et esse ipsum Deum simul. vid. Exam. p. 50. At vero hanc ipsam rationem nullibi probavit, neque potuit. Quae enim his, quaeso, contradictio inest: *Christus*, vt Deus, *mediatorem requirit*, et, *Christus* Θεάνθρωπος *ipse est mediator inter Deum et homines*? taceo, quod ne in humanis quidem, esse laesum et simul esse mediatorem, repugnet: quod pluribus docuit *Pl. Rev. Dnus* PFOTENHAVERVS *l. c.* conf. quae diximus not. 48. 2) *Quia contradictorium sit, Christum, per vnionem personalem summe beatum, mortuum fuisse.* Fingit ergo hic deinde metaphoram atque tunc *calumniatur l. c. pag.* 52. 53. Ea vero nonnisi crassissimam doctrinae de Christo ignorantiam indicant. Vtique summe beatus et divina communicata majestate gloriosus fuit Christus etiam secundum humanam naturam qua *possessionem*, at vero non semper et incessanter hac communicata majestate divina *vsus* est, sed potius semetipsum *evacuavit vsu et exercitio* majestatis communicatae, quousque officium Redemtorium et status exinanitionis postulavit *Phil.* II. 7. et dum Dominus vitae erat, etiam vitam suam secundum humanam naturam deponere potuit *Io.* X. 12. 15. 18. Nulla itaque adest contradictio. 3) *Quoniam dolores Dei non possint promovere honorem*: la *douleur*, inquit l. c. p. 54., *peut elle honorer Dieu plus que le plaisir? Pourquoi veut on que les douleurs de J. C. ajent honoré Dieu? Dieu n'est il pas egalement l'auteur du plaisir comme de la douleur?* Dictis si quid insit argumenti hoc erit: Deus Auctor est voluptatis aeque ac doloris. Qui voluptatis aeque ac doloris Auctor est, illi nec voluptas nec dolor esse potest honori; E. Deo nec voluptas nec dolor esse potest honori. E. nec dolor Christi. At quis non animadvertet confusionem. Deum esse Auctorem voluptatis aeque ac doloris, sine restrictione dici nequit. Deus non est Auctor doloris, nisi, supposita actione creaturae, quae dolorem infligendum meretur. Felicitatis autem creaturarum Deus Auctor est proxime et effective, partim quatenus creaturas rationales iis perfectionibus produxit, quibuscum non poterat non intensior voluptas conjuncta esse, partim quatenus ex gratia bonos multiplici felicitate replet; in hoc boni supponuntur, in illo nonnisi boni

aliam esse, ac ipsum verbum hypostaticum, quod, humana natura in suam hypostasin assumta, Redemtorem generis humani semet exhibuit, comparatio omnium praedicatorum Jo. I. 1. s. 9. s. cum praedicatis Prov. IIX. expositis, *et* ipsa Ecclesiae Christi per septem Ec clesias

boni esse possunt, quatenus scil. a Deo creati cogitantur, ibique dolores non habent locum. Statum itaque creationis etiam hic cum statu corruptionis confundit Deista. Postquam autem creaturae rationales legem div. transgressae peccatis se contaminarunt: at Deus non potest non peccata aversari, poenisque prosequi: poenae autem dolores peccatoribus infligendos supponunt; sic vtique recte dolorum quoque Auctor Deus dici potest. Exinde vero minime sequitur, quod dolores honori Deo esse nequeant, a) quia impossibile, Deum cujusquam rei auctorem esse, quae ipsius honorem illustrare non possit. b) quia vtique ex poenis peccatoribus irrogatis justitia et sanctitas hinc gloria Dei illustratur. Ex Redemtoris autem doloribus nostri loco susceptis omnino summa oritur gloriae div. illustratio, partim ob personae eosdem perferentis infinitam dignitatem, partim quia in iisdem non justitia tantum Dei; sed ipsius etiam infinita misericordia atque φιλανθρωπία conspicitur Jo. III. 16. Eph. II. 4. 7. Tit. II. 11. III. 4. sqq. Ex falsissima itaque majori oritur falsa conclusio, supposito, quod de externa gloriae div. illustratione inter Creaturas sermo sit. Si autem intelligatur ejusmodi gloriae div. illustratio, qua et ipsae Dei perfectiones augeantur; dolores, propter Dei infinitatem, gloriam div. illustrare nequeunt. Sic autem dubium totum nos non ferit, qui quippe, non perfectionibus Dei augendis sed perfectionibus creaturae lapsae restituendis, Redemtorem requiri, docuimus. 4) *Quia Deus non voluerit homines salvare, si enim voluisset, omnes salvati essent* quia voluntas Dei sit irresistibilis. Verum tantum abest, vt de illo suo argumento gloriari possit Deista, vt peregrinum potius in primis Theologiae Dogmaticae principiis et hospitem prodat. Respondemus brevissime iis, quibus jam dudum Nostrates illud removerunt, distinguendo scilicet inter salutis nostrae *acquisitionem* et ejusdem *applicationem* inter *voluntatem* Dei *antecedentem* et *consequentem* pariterque inter voluntatem absolutam et ordinatam. Quae omnia pesime Deista confundit. Habet etiam quaedam, quae huc referri possent Auctor der Gedancken von Gebrauch der strengen Lehr-Art; ea vero suo loco dijudicabimus commodiori.

sias Asiaticas Apoc. I. 20. instauratio, Prov. IX. 1. praenuntiata, luculenter evincunt. 98) Formabimus itaque ex his principiis *Argumentum Nonum* sequens: *Quicunque consiliorum divinorum intime particeps et gnarus, ad eademque hominibus manifestanda divinitus missus est, ille est verus Messias. De Iesu Nazareno concludendum esse docuimus.*

§. 39.

Admissus a Baptista baptismum subiit Christus omnem justitiam vt impleret. Iustitiam implere debuit non pro se sed pro nobis. Ergo pro nobis etiam suscepit baptismum. En! baptismum Christi nobis meritorium. Meritum autem, Salvatoris vnum est, nec in partes dispesci aut separari debet. Christus itaque baptismum suscipiens nobis meritorium, totum suum meritum cum baptismo coniunxit, adeoque effecit, vt fructus salutares ex baptismo in nos redundare possint institutioni divinae conformiter. Idem potest hac etiam ratione concipi: Omnes baptismi fructus in nos redundant propter Christum *Tit.* III. 6. hinc propter Christi meritum. Merito itaque suo Christus effecit, vt effectus fructusque baptismi in nos redundare possint. Iam Christus baptismum suscepit omnem justitiam pro nobis impleturus, hinc ab ipsius merito non potest praecludi baptismus. Vt itaque baptismo suo etiam effecerit, vt effectus fructusque baptismi in nos redundent, concedendum est. Atque hoc est, quod docent Theologi, cum Christum dicunt baptismum sanctificasse, quemadmodum ex iis, quae §. 10. diximus, apparet. Hoc ipsum autem iam in V. Tto. non obscure praedictum est, cum *Zach.* XIII. 1. 99) fons apertus adversus peccatum et omnem impuritatem tempore Messiae praenuntiatur futurus, et *Ezech.* XXXVI. 25. 100) Messias pura consperfurus dicitur lympha Israelitarum genus, vt a foeditatibus suis mundetur (Conf. *Ps.* XXIII

98) Cfr. praeter *Vinarienses*, *Tubingenses*, *Starckium* et *Geierum* ad *h. l.* *Thomas* CARTWRIGHT *in Commentariis succinctis et dilucidis in Proverbia Salomonis* pag. 165. ſſ.

99) Cfr. *Vinarienses*, *Tubingenses* et *Starckius* ad *h. l.*

100) Praeter *not. praec.* cit. conf. DORSCHEVS Diſſ. *de Spiritu, Aqua, et Sanguine, in terra tribus teſtibus* p. 29.

XXIII. 2. LXV. 10. *coll.* XL. 5. *Ezech.* XVI. 9. XLVII. 1-12. et potissimum *Jes.* LIV. 9. LV. 1. propter comparationem cum aquis diluvii, quas typum esse baptismi expresse docet *Petrus* 1 *Ep.* III. 21. vt alios jam typos non memoremus 1 *Cor.* I. 2. in quibus quidem locis non baptismus tantum sistitur lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus S. *Tit.* III. 5. sed *Messias* etiam *docetur esse, qui hoc fonte sacro nos mundat*, adeoque tamquam causa efficiens et meritoria efficiat, vt baptismo in nobis obtineatur, tamquam baptismi fructus, nostra mundatio. Oritur ergo inde argumentum nostrum Xmum. *Quicunque tamquam causa efficiens et meritoria baptismum sanctificat fructuum effectuumque spiritualium fontem ille est verus Messias*: De Jesu Nazareno concludendum esse, dicta evincunt. 101)

§. 40.

Praedixerunt sacri divinitus acti Vates, Messiam venturum *aqua effusa*, hinc *baptismo*, *mundaturum esse*, qui ad ipsum accedunt,

101) Nil quidquam h. l. moramur naenias *Edelmanni* Sacramentis honorem debitum negantis, in der Begierde . . p. 182. *al.* Nihil autem baptismo opponere novit, nisi *quod ad summam perfectionem in hac vita per illum non pertingamus.* At vero quid inde contra baptismum inferri potest? cum Deus per lavacrum hoc neutiquam omnibus modis perfectam sanctitatem *inhaesivam* (quae in hac vita non obtinetur, Hebr. XII 1.) in nobis producere, sed per lavacrum Regenerationis et Renovationis Sp. S. Tit. III. 5. viribus supernaturalibus nos donare, fidem in Christum in nobis producere, peccati reatum tollere, Rom. VI. 3. ff. aptosque reddere nos voluit, vt veterem hominem indies magis magisque exuere Eph. IV. 22 - 24. Christum induere Gal. III. 37. et in lucta carnis et Spiritus carnem cum suis cupiditatibus debellare, victoriamque reportare queamus Rom. VI. 3. seqq. Illi enim sunt baptismi effectus atque fructus, quibus per Dei gratiam lavacro illo beamur, et in gratia persistentes tandem ad salutem aeternam perducimur Tit. III. 7. 1 Petr. III. 21. eamque felicitatem obtinemus per et propter Christum tamquam causam meritoriam Tit. III. 6. Vnde vana illa objectio de non obtinenda in hac vita summa perfectione a scopo baptismi abludit, et principiorum Christianismi in adversariis ignorantiam arguit.

(§. praec.) 102), eundemque sanguine et morte suo piaculum semet exhibiturum esse pro hominibus Jes. LIII. 6. ff. Conf. §. 39. Messias itaque praedictus est qui venit aqua et sanguine. Nunc ne ulla ratione dubites haec in Jesu impleta esse, ejus Praecursor officium inchoat baptismo: ipse Jesus subit baptismum, et tum quidem, cum ad officium inchoandum veniret: in baptismo suo manifestatur Messias, et ad officium suum inauguratur publice: baptismum sanctificat ipse baptizatus: baptismum per discipulos administrat, baptismum tamquam necessarium regenerationis et salutis medium constituit. Vere itaque *venit Aqua*. Venit autem sanguine quoque, quum sanguine passionem suam gravissimam atque meritoriam inchoaverit, sanguine finiverit, vt de circumcisione jam nihil dicamus. Venit itaque Aqua et Sanguine. Et vtrumque miraculoso modo in Jesu manifestatum est, cum in mortem se dedisset pro nobis piaculum, emisso ex ejus latere Aqua et Sanguine, quod admodum graviter describit Joannes Cap. XIX. 34. ff. Erit itaque Argumentum nostrum *Vndecimum* hoc sequens, quo ipse Joannes vsus est. 1 Jo. V. 6. 103) *Quicunque venit Aqua et Sanguine, ille est verus Messias*. Jam Jesus Nazarenus est, qui venit *Aqua* et *Sanguine*. Est ergo verus Messias.

§. 41.

Jesus baptizatus εὐθὺς, nulla ejus facta a Baptista institutione, ascendit ex aqua. Eoque ipso Jesum institutione non indigere docetur (§. 13.). At, quis est hominum, qui de rebus sacris et ad salutem aeternam pertinentibus, qui de vitae sanctitate, et de iis, quae ad fructus et effectus baptismi spectant, institui non opus habeat, nisi solus is, qui et ipse, cum baptismo poenitentiae pro se non indigeat

102) Nec negligendum est, quod et ipsi Judaei, dum ipsis mirum videbatur baptizare Joannem, qui neque Messiam neque Eliam neque Prophetam se profitebatur Jo. I. 19. seqq. eo ipso confessi sint, baptizandi munus Messiae temporibus competere. Ex quibus ergo sequitur, quod etiam tunc temporis vaticinia ista a Judaeis ipsorumque Doctoribus de Messia fuerint explicata.

103) Perplacent cogitata Cel. SCHOETGENII *in Horis Hebr. et Talmud. ad h. l.* digna quae hic conferantur.

indigeat voluntatem divinam intime novit, hominibusque revelat *Io.* I. 18.: qui ipse est lumen illuminans omnem in hoc vniverso hominem *Io.* I. 9. qui ipse est via, veritas et vita et nisi per quem nemo ad Patrem venire potest *Io.* XIV. 6. qui ipse omnia novit, nec opus habet, vt quisquam interroget ipsum *Io.* XVI. 30. qui et ipse est Doctor justitiae lingua doctissima praeditus, *Ies.* XLV. 19. L. 5. cui summa competit cognitio, summa sapientia, summus intellectus, *Ies.* XI. 2. et in quo omnes absconditi sunt thesauri sapientiae atque cognitionis *Coloss.* II. 3. Formabimus itaque argumentum nostrum Duodecimum. *Qui verus homo summo intellectu summa sapientia praeditus est, vt institutione omnino nulla indigeat, is est verus Messias.* De *Iesu Nazareno subsumendum* et *concludendum* esse textus noster, aliis ex N. T. cit. dictis illustratus comprobat, prouti majorem loca ex V. T. allegata 104) tuentur.

§. 42.

Jesus baptizatus preces fundit, preces quidem officium ipsius respicientes, adeoque pro nobis, obligatione sola, quam §. 13. diximus. Enimvero qui pro altero preces fundit, is pro eo intercedit. En! itaque intercessionem Christi in precibus ipsius conspicuam. Jam Deo nosmet reconciliaturus Redemtor, semet etiam sacrificium, piaculum, lytrum, Deo obtulit. At actus offerendi sacrificium, et actus intercessionis, sunt duo illi actus, quibus *Sacerdos* officium implet 105). Jesus itaque vtroque hoc actu sistitur *Sacerdos.* Cumque expiatio hinc intercessio ipsius sit perfectissima atque infiniti aeternique valoris, conf. §. 25; vtroque actu Sacerdos summus et aeternus sistitur. Nunc Messiam esse Sacerdotem summum atque aeternum vates sacer praedixit *Ps.* CX. 4. Novum itaque habemus pro thesi nostra argumentum

104) Jsta loca de Messia agere partim ex superioribus jam intelligitur, partim per ipsum contextum patet, vbi Redemtor et Salvator expresse nuncupatur.

105) Hoc ipsum demonstrabit collatio omnium locorum, quae de Sacerdotis officio praecipiunt, ex quibus hic allegasse sufficiat locos *Exod.* XXIX. XXX. *Lev.* XVI *Num.* VI. XIX.

106) Minorem abunde docet etiam Paulus *Hebr.* V. 7. VII. 25. f. XI. 7. f. L. 4. f.

mentum XIIImum sequens: Quicunque est Sacerdos summus et aeternus ille est verus Messias. Iam Jesus Nazarenus est Sacerdos summus et aeternus 106). Jesus ergo Nazarenus est verus Messias 107).

§. 43.

Celebre vaticinium Hagg. II. 7. 8., quo tempore templi secundi Messias venturus praedicitur, notatu dignissimam circumstantiam illius eventus meminit, *commotionem coeli et terrae.* Non haeremus nunc in refutandis vel *Judaeorum* vel *Collini* interpretamentis, quorum illa a *Münstero* et *Drusio*, 108) haec a S. R. LILIENTHAL l. c. p. 912. s. rejecta sunt: nec recensebimus hic *diversos modos*, quibus hoc vaticinium de Coeli et terrae commotione, circa Christi ejusque regni manifestationem, impletum est. Sufficit nobis a) *quod*, de Christo agere vaticinium, evidens sit inde, quia expresse in textu vocatur *Solatium omnium gentium*, quod praedicatum soli Christo competit *Ies.* XLIX. 6. IX. 1. XLII. 6. LX. 1. s. b) quod Paulus, *Hebr.* XII. 26. hoc vaticinium excitans, diserte nos *ad vocem Dei ex coelo loquentis* ableget. Ab ea nunc voce Euangelica divinitus et e coelo missa 1 *Pet.* I. 12. certe haec vox Patris coelitus emissa tam parum excludi potest, ac coelos in baptismo Christi scissos sine coelorum commotione imaginari sibi quisquam possit. 109) Vt itaque verissime et proprie in manifestatione hac Redemtoris coelos commotos esse confitendum sit. Jure itaque argumentamur XIV.: *Quicunque commotis coelis publice declaratus est Messias ille est verus Messias*: Et Jesum Nazarenum esse verum Messiam denuo inferendum est.

§. 46.

107) Quae officio Christi sacerdotali opponunt *Edelmannus* atque *Auct. Exam.* ea *vel* ad negatum reconciliationis necessitatem *vel* ad negatum Sacrificiorum V. T. valorem, *vel* ad repetitas Socinianorum objectiones redeunt. *Primum* supra destruximus, *Secundum* illegitimo neglectu rationis typicae sacrificiorum V. T. nititur, et a S. R. WAGNERO l. c. solide refutatum est. *Tertium* multo ingeniosius a Socinianis propositum dudum rejecerunt Theologi Nostrates.

108) Conf. Crit. Angl. Tom. III. p. 4013. s.

109) Hinc S. R. Dn. *Liliemthal*, *l. c.* diversos modos impletionis hujus vaticinii recensens, ejus etiam, quam textus noster sistit, commotionis coelorum mentionem injicit.

§. 44.

Baptizato Jesu, ex apertis coelis, testimonium coelitus emissum exhibetur. *Descendit super ipsum Spiritus S. in eodemque manet.* Conf. *Io.* I. 32. Hoc criterio indigitandum esse Jesum Messiam ex immediata revelatione Baptista cognovit, et Jesum esse Messiam testatus est, *Io.* I. 30. 34. Totum illius argumentum sit nostrum XVtum: *Super quem Spiritus S. descendit et mansit, is est verus Messias* (cfr. §. 17.) v. 33. super Jesum Nazarenum descendit et mansit Spiritus S. v. 32. 34. E. est verus Messias v. 34. Js autem, quem major argumenti continet, character in V. etiam T. jam praedictus habetur. Nam *Ies.* XI. 2. expresse dicitur: Super *ipsum* עליו *requieseet Spiritus Iehovae*, *Ies.* XLII. 1. *dedisse* עליו super ipsum Spiritum *suum dicitur Iehova*, *Ies.* LXI. 1. *dicitur esse super ipsum, Spiritus Iehovae: Spiritus Domini Iehovae est super me* עלי. Cfr. *Ies.* LIX. 21. Quemadmodum nunc illud ἐφ' ὃν Joh. I. 33. egregie respondet illi עליו Jesaiae: et illud ἔμεινεν ἐπ' αὐτὸν, μένον ἐπ' αὐτὸν, Jo. I. 32. 33. optime exprimit illud נחה Jesaiae; ita impleta esse haec vaticinia in Christo, quae in baptismo Christi facta sunt adeo visibiliter docent, vt, Jesum esse Messiam a Prophetis praedictum, manu tum palpari potuerit.

§. 45.

Prorsus singularis haec est Spiritus S. superventio, quae nulli nec a Joanne baptizatorum, nec Regum, nec Sacerdotum, nec Prophetarum, quibus caeteroquin vnctio etiam tribuitur in S. Sacra, contigit: et quae deinde Apostolis obvenit, a Christo, Sp. S. vncto, tamquam a suo principio, derivanda est. Jesum ergo Nazarenum κατ' ἐξοχὴν, modo eminentissimo, Vnctum esse, hoc descensu declaratum est. At vero, qui κατ' ἐξοχὴν, modo eminentissimo, vnctus est Sp. S., ille est verus Messias. Decimum Sextum itaque hic habemus pro evincenda thesi nostra argumentum. 110)

110) *Quae* vtrique, §. hoc et praec. prolato argumento opponunt Deistae, simul hic refutanda sunt 1) Edelmannus non potuit non fateri in dem Gl. Bek. p. 100.; Jesum excellentissimis donis praereliquis hominibus a Deo instructum, hinc tanquam vnctum s. Messiam, et virum Dei carum ac integrum, et Doctorem div. suscipiendum esse. Ea ipsa autem quantilla sunt, jam tamen αὐτοκατάκριτον obligabant ad suscipiendam Jesu doctrinam, hinc rejici-

§. 46.

Decimum Septimum argumentum suppeditat vox div. Patris, qua hunc Jesum esse Filium suum perdilectum, in quo complacentiam habeat, testatur. Primo quidem, Jesum Nazarenum esse Filium Dei

rejiciendas iisdem oppositas calumnias. Illa autem confessus iterum blasphematur: Jesum nudum hominem fuisse, et, omnino nonaliis, ac reliqui homines, licet gradu diversis, donis instructum, nec alio modo habuisse, ac reliqui homines (vid. die Begierde ... p. 22. 56. 155.), Spiritum S., qui per omnipraesentiam in omnibus, pro cujusvis tantum situ est statu, diversis modis, operetur. Quae quam sint misere et insulse dicta quisque intelligit. Si enim non aliter, ac cuivis alii naturali homini, Sp. S. Christo datus fuit: omnia, quae per Sp. S. praestitit Christus, per leges naturae explicari posse debent. Sp. S. enim omnipraesens quicquid vt talis operatur, operatur per causas secundas, per vires naturae. Jam Christi ἀναμαρτησία, miracula ab ipso praestita, ejus καρδιογνωσία, resurrectio, effusio Sp. S. *vel.*, quae ab ipsis Christi hostibus negari non potuerunt Actor. IV. 16. Jo. XI. 47. per quas, quaeso, regulas, aut leges naturae produci queunt, aut quis est nudi hominis situs statusque naturalis, per quem concipi possit, ea huic, non aliis, convenire? Quibus artibus, quonam situ et statu hominis effici potuit, vt, ruptis coelis Sp. S. descenderet, et vox e coelo testetur de Filio Dei vnigenito? Quae itaque *de miraculis* a Christo praestitis scribit *Edelm.*: *quod Christus naturam intime cognoscens, eandem in vsus vertere noverit*, hoc pariter absurdissime dicitur, cum facta Christi naturae viribus existere non possint: Et quamvis deinde dicat illi, *Christum per inhabitantem sibi virtutem Dei, qui omnia est in omnibus, miracula patrasse*, per illam tamen virtutem Dei non aliam quam naturalem, Christo vt nudo homini competentem intelligit, quam quippe particulam Dei vel Deum in parte, omnibus creaturis rationalibus inexistentem, secundum Spinosisticos dudum refutatos errores, esse dicit. Reliqua refutata legas apud R. Pfotenhauerum l. c. P. II. p. 369. ff. 2) *Auctor Exam.* miracula Christi et Apostolorum sicco pede transit, sola quaedam generalia, nullo ordine, afferens. Enthusiasmi objectionem etiam hic repetit. Eam vero supra rejecimus. *Miraculis*, porro dicit, *opus fuisse pro obtinendo populi consensu.* Illud autem non est in quaestione, sed, hoc: vnde et quanam virtute patrata fuerint? De eo is *Auct.* silet. Fabulas narrat Parnassi, Pythiae furores, aliaque adeo inania, vt misericordiam potius, quam bilem, legenti movere possint. Producant adversarii, si possunt, vnicum exemplum praestiti, per Enthusiasmum, miraculi, aut obtentae linguarum scientiae!

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn840951965/phys_0098
DFG

Dei Patris, vox coelitus emissa docet III). Atque alium ac proprium

III) Non possumus non *h. l.* Deistis aliisque Antitrinitariis, mysterium Trinitatis insultissime oppugnantibus, hanc Θεοφανείαν opponere. Alius enim est Pater e coelo loquens, alius est Filius stans ad Jordanem, alius Spiritus S. corporali columbae specie super Jesum descendens. Tres itaque hypostases diversas manifestari, indubium est. Nunc Deus essentia est vnus. In vna itaque Dei essentia tres esse personas, negari nequit. Veritati huic in V. et N. T. distinctissime propositae *Gen.* I. 1. 2. Ps. *XXXIII.* 6. Jes. *XLIX.* 16. *LXI.* 1. Jo. *XV.* 26. 1 Jo. V. 7. alia opponere non potuerunt nostri Saeculi homines, nisi, quae a Veteribus jam haereticis opposita sunt. Contradictionem crepant vbique, docere nullibi possunt Edelmannus et Auct. Exam. Si quaeras, cur contradicat? Respondent: *Quia* ratio docet Deum vnum: Quaero: Docetne vnum essentia, an persona, an vtraque? Primum conceditur. Secundum et tertium negatur. Vbinam, quaeso, haec est demonstratio ex rationis principiis? Sane nullibi, nisi spuriis falsisque principiis et illegitimo modo concludendi formata. Est enim hoc, quod ratio plane ignorat, et neque affirmandi, neque negandi principia habet, si recte iisdem vtatur. Per solam revelationem hoc innotescit. Quae contra proferunt Edelmannus et Auct. Exam. mendacia sunt et calumniae. Huc tandem cuncta redeunt 1) *quod* a paganis assumta sit ea doctrina, *quae* 2) Tritheismum inducat 3) *in* Script. S. non doceatur, quippe *quae* 4) nec habeat voces *Trinitatis* et *personae* 5) *quod* eam nec Christus, nec 6) Patres ante Saeculum IV. docuerint. At, qua 1), conferatur cum S. Sacra doctrina Platonica, et satis apparebit, Platonicos *modo* tria Dei attributa facere personas, *modo* personas tres essentia diversas ponere, *modo* vni prae reliquis eminentiam tribuere, hinc Tritheismum docere, quae omnia S. Sacrae aperte contrariantur. *Qua* 2) hoc manifesto falsum est, quia trium personarum divinarum essentia numero eadem docetur. Qua 3) illud denuo falsum est. Oppositum docent loca *cit.* (4tum corruit, partim, quia vox ὑπόστασις habetur Ebr. I. 3., partim, quia absonum est, definitum non judicare Scripturae analogum, quae definitiones et characteres personae Deo Patri, Filio, et Spiritui S. tributos exhibet 1 *Jo.* V. 7. *Jo.* V. 37. IIX. 18. XV. 16. 26. *Jes.* XLIIX. 16. Ps. *XXXIII.* 6. coet. (5tum falsissimum est propter dicta *cit.* (6tum rursus est falsum. *Quomodo* enim potuit adversus Arium oriri Patrum ante Concilium disceptatio, *quomodo* concilium convocandi decretum, *quomodo* concilium adversus *Arium et asseclas* potuit statuere, *si non* ante concilium doctrina de Trinitate

prium verbi significatum hic locum habere non posse, demonstratum dedimus §. 18. Jam hoc ipsum V. T. Sacrae paginae de Messia asserunt Ps. II. 7. 112) 2 Sam. VII. 14. 113) Ps. LXXX. 16. 18. CX. 1. Vnde Jesum Nazarenum esse verum Messiam evictum est, 114) §. 47.

tate a Patribus sancte servata fuisset? Praeterea, a S. sacra discessisse Patres ante saec. IV., non demonstrabit Deistarum vllus. Immo falsitatem hujus asserti omnino evincunt ea, quae *Cyprianus Saec. III.* scribit in Libro *de vnitate Ecclesiae* p. 164. Cfr. b. *Jo.* GERHARDI *Dissert. de tribus in coelo testibus* p. 32. Et sane vel vnicus *Justinus Martyr Saec. II.* evincendo opposito sufficit, qui simul demonstravit, Platonem ex S. Sacra, et ab Hebraeis doctrinam suam desumsisse, sed mirum in modum corrupisse. Cfr. *Ejusdem Apol.* II. *pro Christianis* p. 153. 156. 178. ff. *Dial. cum Tryphone* p. 61. 105. et potissimum integer ejus *Liber de Trinitate* opp. cit. p. 193 - 199.

112) Psalmum agere de Messia, ex v. 1. 2. et *Act.* IV. 25. XXIII. 33 s. *Ebr.* I. 5. V. 5 manifestum est. Enjedini et Parvishii objectiones removit S. R. LILIENTHAL l. c. p. 583. 587. ff. Auct. Exam. obscuritatem iterum obvertit p. 87. Adducto, ex Act. XIII. 33., loco addit. *La prophetie n' est elle pas claire', si on veut prouver la generation du verbe? on cite aussi cette Prophetie: Ego hodie genui te, et rursum ego ero illi in Patrem, et ipse erit mihi in Filium. Hebr.* I, 5. Obscuritatem autem cum evincere nequeat Deista, sunt, sane, quae profert, sine mente. Praetereaque ex contextu refutantur, qui ejusmodi praedicata exhibet, quae soli Messiae competunt. Si quid judicandum est, incidit homo in aliorum objectiones, inde formatas, quod in N. T. Dictum *Ps.* II. 7. *modo* ad resurrectionem Christi *Act.* XIII. 33. *modo* ad generationem Filii aeternam *Hebr.* I. 5. *modo* ad Sacerdotium Christi probandum *Hebr.* V. 5. allegatur. In eo vero nihil dubii inveniisset, si, quae a Nostris hanc in rem dicta sunt, attendere, quam suis calumniis indulgere, maluisset. Vid. b. SCHMIDIVS *Comment. in Ep. ad Hebr.* p. 60. ff. S. R. LILIENTHAL *l. c. p.* 590. STARCKIVS *l. c.* ad *hh. ll. al.*

113) Locum 2 *Sam.* VII, de Messia agere, testatur *David* v. 19. Obscuritatem etiam huic dicto objicere non potuisset *Auctor. Exam.* si textum v. 19. cum v. 12. 13. 14. comparasset, et ad *Ps.* LXXXIX. 20-28. ff. et ad *Hebr.* I. 5. attendisset.

114) *Edelmannus* quidem hostis Trinitatis non potest non Filium Dei ex essentia Patris ab aeterno genitum, Patri ὁμοούσιον, negare. Hinc in Scripto: Die Begierde ꝛc. modo Arianorum modo Sabelliano-

§. 47.

Jesus itaque non verus tantum homo, sed et Filius Dei Patri ὁμοούσιος *Io.* V. 18. 1 *Io.* V. 7. adeoque Θεάνθρωπος est Θεάνθρωπος vero Messias in V. T. diserte promissus est *Gen.* IV. 1. 2 *Sam.* VII. 19. *Ies.* VII. 14. IX. 6. 7. IX 6. 7. *Ier.* XXXIII 15. 16. Jesum E. Nazarenum verum esse Mesiam invicto argumento, ordine decimo VIIIvo, demonstratur. 115) §. 48.

lianorum haereses spargit. Invictae demonstrationi quas *Matth. XXII.* 42. ff. Christus, se esse verum Deum ex *Ps.* CX. 1. evincit, nil nisi stolidam facti negationem opponit. *Psalmum* vero *nil continere* dicit nisi *poeticam* optimi *regiminis Davidici descriptionem.* Hoc autem ita falsum est, vt Psalmum non legisse debeat, qui statuere possit. Sessio ad dextram Dei, sacrificia huic a dextris Dei sedenti in sanctitate offerenda, sacerdotium ejus aeternum, vt pauca haec adducamus, Davidi nullo modo, Redemtori autem vnice, applicanda sunt. Exceptionem hominis desumtam ex inscriptione לדוד dudum refutavit GEIERVS ad *h. l.* adversus *Kimchium* et *AbenEsram* disputans.

115) Vocem Θεανθρώπε ferre non posse Religionis Christianae hostes, nemini mirum esse potest. Edelmannus itaque Θεανθρώπε ideam rejicit, nec tamen, praeter ea, quae § 34. 49. *al.* refutavimus, vel, post rejecta ejus falsa principia, per se corruunt, aliquid singularis afferre potest. Quod enim de Jesu nativitate, ut loquitur, miraculosa profert, eamque necessariam non fuisse, adeoque assumendam non dicit esse, quia reconciliatione non fuerit opus, et peccata non dentur, hoc, destructis illis falsis principiis, collabitur. Auctor *Exam.* cum Edelmanno adversus Matth. *XXII*, 42, disputans Virgilii Eclogam, qua Pollionem extollit, comparat, et simul, eam tanquam vaticinium de Christo explicari, calumniatur. Ea vero adeo sunt misere excogitata ut refutatione indigna sint. Nec probari potest a Nostris aliter citari ac quousque verba Maronis tamquam ex Sybillinis desumta considerantur. De quibus quid statuendum sit ex *Fabricio* videri potest *l. c.* Auctor A - *X.* l. c. p. 13. doctrinam de Θεανθρώπῳ impugnans rem confuse et ita repraesentat, quasi in Deo ipso ponenda sint, quae humanae in hypostasin divinam assumtae naturae formaliter competunt. Verum isthaec denuo ignorantiam produnt vel malitiam; alias scire debuisset, salva vnione hypostatica vtramque naturam suas retinere affectiones, nec quae vnius sunt formaliter fieri formaliter alterius, licet divina natura idiomata sua humanae naturae communicet, sibique appropriet, quae sunt humanae naturae; in actibus autem Theandricis unamquamque naturam agere, quod suum est, cum communicatione alterius.

§. 48.

Secundo: Quem Pater e coelo declaraverat Filium suum, eum porro dicit ἀγαπητὸν, *Dilectum*, sensu quidem eminentissimo, cujus ἐξοχῆς rationem docuimus §. 19. Jam Scriptura V. T. Messiam docet esse modo *eminentissimo Dilectum* Dei: Hos. XI. 1. Es. XLII. 1. Est itaque in his denuo character Messiae ad Jesum Nazarenum in baptismo suo applicatus. Vnde argumentum exsurgit nostrum XIXmum. Quicunque est Dilectus Dei sensu eminentissimo, ille verus est Messias. De Jesu Nazareno facta subsumtione concluditur.

§. 49.

Non in *Iesu* tantum *Nazareno*, sed propter ipsum etiam in *hominibus* Deum habere complacentiam, vox Patris e coelo testatur (§. 20.). Vtrumque autem S. Sacra V. T. de futuro Messia praedicit. *Prius* ex *Hos.* XI. 1. *posterius* ex *Ps.* LXXX. 16. 18. *coll. Ies.* LIII. 10-12. *vtrumque* ex Jes. XLIV. 1. intelligitur. Arg. E. XXmum erit sequens: *In quo Deus sensu eminentissimo complacentiam habet, ita, vt propter ipsum etiam in hominibus habeat, is est verus Messias.* Jam de Jesu Nazareno hoc vnice valet. Hinc Jesum Nazarenum esse verum Messiam evictum est.

§. 50.

Complacentia div. in Jesu Nazareno (§. 48. 49.) nostram simul, ad obsequium Jesu praestandum, obligationem loquitur, ita quidem, vt, ni ipsius doctrinis atque praeceptis obsequamur, salvi esse nequeamus. In alia *Φανερώσει Matth.* XVII. 1. ff. hoc ipsum expresse additur. Ipse quoque Salvator, se esse viam, veritatem atque vitam, docuit, sine quo ad Patrem aditus nemini pateat *Io.* XIV. 6. idemque et ipsius Apostoli professi sunt *Io.* XIV. 25. 1 *Cor.* XVI. 22. caet. Hoc autem charactere Prophetam summum, Messiam, Deus insigniverat *Deut.* XVIII. 15. 19. Vnde argumentum habetur pro thesi nostra XXImum *Quem eminentissimo modo Deus constituit eum, cui audientes nos esse debemus, et ita quidem, vt, ni ipsius mandatis obsequamur, salvi esse nequeamus, ille est verus Messias.* De Jesu Nazareno subsumendum, hinc concludendum esse probavimus.

§. 51.

Jesus Nazarenus est is, cujus mandatis audientes nos esse debemus,

bemus, et quidem sub comminatione dispendii salutis (§. praec.) Ipsi E. competit Jus perfectum et summum, mandatis suis nos obligandi. Christus itaque est Rex nobis constitutus, nos ipsi sumus subjecti. Nec praeter rem hoc ipsum hic considerandum est. Eo ipso enim, quod Pater coelestis Jesum Nazarenum publice docet Filium suum, et, quod in ipso, et propter ipsum, etiam in nobis omnem se suam habere complacentiam, testatur, eo ipso Jesum Nazarenum Regem nostrum publice declarat. Quapropter in vaticinio Ps. II. 6. 7. praedicatio publica de eo, quod Filius Dei ab aeterno genitus sit Messias, cum Messiae in Regnum Sionis instauratione connectitur. Quemadmodum autem Messias praedicitur Rex universalis, Rex in regno potentiae *Ps.* II. 12. VIII. 7. ff., gratiae Ps. II. 8. *Ier.* XXIII. 5. 6. *Zach.* VI. 12. IX. 9., et gloriae *Ies.* XXXV. 10. ipsiusque regnum non corporale, terrenum et humanum, sed spirituale, coeleste et divinum describitur *Ps* LXXXIX. 15. ff. XCVII. 7. f. 11. f *Ies.* IX. 6. 7. XXXIII. 5. 6. LX. 17 f. *Hos.* I. 7. *Zach.* IX. 9. Jta etiam Jesus Nazarenus sistitur Rex vniversalis, Rex in regno potentiae *Eph.* I. 20. ff. *Matth.* XXVIII. 18., gratiae *Eph.* IV. 7 8. f. 1 *Petr.* II. 9. et gloriae *Matth.* XXV. 34. *Luc* XXII. 29. 30. ipsiusque regnum non mundanum sed spirituale docetur *Io.* XVIII. 36. VI. 15. *Rom.* XIV. 9. 17. Ex his argumentum XXIIdum habetur pro thesi nostra: *Quicunque manifestatus est Rex Spiritualis idemque vniversalis, ille est verus Messias.* Jam Jesus Nazarenus ceu talis demonstratus est. Jesus E. Nazarenus est verus Messias.

§. 52.

Ex iis, quae § 20. docuimus, Jesum esse vnicum salutis nostrae principium consequitur *Conf. Io.* I. 18. VI. 47. XIV 6. *XX.* 31. *Matth.* XI. 28. *Act.* IV. 12 1 Cor. III. 11. Eph. II. 20. *al.* Hoc ipsum autem de Messia docuerunt Prophetae Ps. II. 10. f. CXIIX. 22. f. Jes. IIX. 13. f. XXIX. 16. XLV. 22. Vnde, sumta majori: *Qui unicum est salutis nostrae principium is verus est Messias*, Argumenti XXIIItii inferetur conclusio.

§. 53.

Quae hactenus exposuimus, *Iesum Nazarenum in baptismo suo verum Messiam demonstratum esse*, evincunt. Addimus his duo adhuc, eandem veritatem atque ex ea fluentem conclusionem, quod Jesus sit Verus Messias, vlterius confirmatura. I. Divinitus missus est Joannes ad Baptizandum, eo fine, vt Jesus manifestaretur Messias, quod evidens est a) ex Jo. I. 31. b) ex testimoniis Luc. III. 2 3. et Jo. I. 6 f. c) ex testimonio totius populi, ipsis etiam Christi hostibus arduo, Matth. XXI. 26. d) ex mutata per baptismum

baptismum Joannis oeconomia divina, quam nemo hominum, Deut. XIIX. 20. sed solus Deus mutare poterat valide Jer. XXI. 22. Mal. IV. 5. 6. e) ex eo quod individuum Messiam indigitavit Joannes, quod sine revelatione non poterat. Inde itaque formabitur Argument. nostrum XXIVtum ex hac majori: *Cujus tanquam veri Messiae manifestandi causa Ioannes ad baptizandum a Deo missus est, ille est verus Messias*, de Jesu conclusionem inferendo.

§. 54.

Ex Majori illa (§. 53.) sequitur haec propositio: Qui per baptismum Joannis demonstratus est verus Messias, ille est verus Messias. Et ex hac denuo fluit sequens: Qui in baptismo, quem baptizante Joanne subiit, proprio, manifestatus est verus Messias, ille est verus Messias. Facta de Jesu subsumtione et conclusione habetur Argum. XXVtum.

§. 55.

Pro firmanda adversus Deistas veritate eorum, quae in baptismo Christi gesta sunt, notabimus 1) quod ea cuncta publice et populo praesente facta sunt Matth. III. 5 6. 7. 13. Marc. I. 5. 9 Luc. III. 21. 2) sunt πεπληροφορημένα πράγματα, fide digna, notoria indubitata. Luc. I. 1 3) Jesus ipse Joh. V. 37. Matth. XXI. 25. s. ad ea provocat et ἐξουσίαν sibi competentem inde probat. 4) Matthaeus, qui textum nostrum exhibet infallibilitatis Characterem habet Sp. S. Act. II. 1. I. 13.

§. 56.

Tandem ex omnibus hactenus deductis divinitatem Script S. tanquam Corollarium inferre licebit. Quae enim de Jesu docuimus ex Script. S. ea rationis lumini neutiquam patent, sive ad ipsum Deum, vt doctrina de Trinitate, Filio Dei unigenito, *cet.* sive ad solum arbitrium Dei referenda sint, vt praecursoris determinatio, Messiae manifestatio, officia, *cet.* E. non nisi per revelationem sciri potuerunt. Cum tamen in V. T. proposita et praedicta, eventu autem comprobata sint; Scriptura S. V. T. revelatio est vere divina. Cum porro Jesus sit verus Messias, idemque per vere factum Flaminis baptismum comprobatum sit: Is vero baptismus eos, qui N. T. scripta consignarunt Sp. S. ita repleverit, vt in proponendis scribendisque dogmatibus divinitus acti sint; Striptorum N. T. divinitas pariter stat immota. Quod quidem vnicum hic nobis sufficiat. Illam autem de variantibus lectionibus objectionem tollit Millius Prol. ad N. T. p. 79. *al.* alteram de Originalium defectu ex asse refutavit S. R Fried. Wagnerus l. c. quumque *rebus ipsis* credere possint Deistae ipsa quoque est futilissima. Stat itaque inconcussa Religio Christiana Jesu Christo Petrae immoto superstructa Matth. XVI. 18! Servet in eadem et confirmet mentes nostras continuo Deus, vt per infinitam Dei gratiam fidei in Christum Jesum tandem a nobis obtineatur

FINIS!

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn840951965/phys_0104
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn840951965/phys_0108
DFG

Iɔ Iɔ CLXXVII; et Ioh. Creighton in commentario,
t hic: *De Brief van den H. Apostel Iudas ontleedet en*
rlemi cIɔ Iɔ CCXVIII. Ex Pontificiis in eam com-
: Augustinus de Quiros, societatis Iesu, in libro
uorum cIɔ Iɔ CXXVIII secunda vice edito: Adamus
ulgo Sasbouth, cuius *expositio epistolae Iudae* in operi-
, Coloniae Agrippinae cIɔ Iɔ LXXXVIII tertia vice
is, exstat. Theoduli, Itali, *commentarium in Iudae*
tum est bibliothecae Patrum, edit. Parisiis cIɔ Iɔ CX:
ardentii commentarius in eandem exscriptus est
e Agrippinae cIɔ Iɔ CXV. Henricus Lancelotus,
s, scripsit in epistolam Iudae *anatomiam Christiani*
ntwerpiae cIɔ Iɔ CXXXIIII: Franciscus Laurelotius
CXII *exegesin in epistolam Iudae theologicam, catholicam*
lidit: Aegidius Radeus et ipse hoc in loco suum
m foras dedit. est autem recusus Geneuae cIɔ Iɔ XC-
ɔsius Ansbertus, vt vulgo, vel Autpertus, Bene-
lanationes in Iudae epistolam dedit Coloniae cIɔ Iɔ XXX-
olducius, Franciscanus, eam exposuit Parisiis cIɔ-
; Martinez Segunti cIɔ Iɔ XXVIII, ac Raphael Mas-
nemadmodum alii volunt, Masseus, *explanationem*
e suppeditauit Venetiis cIɔ Iɔ LXXVI. Inter Soci-
entarium in hanc epistolam conscripsit Ioh. Ludo-
enius, Baro Austriacus, qui in *bibliotheca vnita-*
poli (quod est fictum nomen) cIɔ Iɔ CLVI edita,
n eadem reperitur etiam *fragmentum commentarii in*
, cuius auctor est Ionas Schlichtingius a Buko-

Iudae epistola. Offert se mihi et aliud praefatio-
um. Nuper enim, in locum placidissime defun-
atis Consulis KLVSMANNI, suffectus est vir Con-
BLECHEN. qui adhuc ita praeclare, vti de vni-
uersa